DE MORBIS
MULIERUM ET PUERORUM
PRÆLECTIONES

AUCTORE

FRANCISCO BAGNO

IN USUM

AUDITORII SUI.

NEAPOLI MDCCLXXXVII.

Ex Typographia Amati Cons.
PUBLICA AUCTORITATE.

PRÆLOQUIUM

Ecce tandem adolescentes laborum meorum finis. Vestris votis obtemperaturus de morbis mulierum, et puerorum prælectiones instituo. Hos morbos medentibus grave negotium facessere nemo ignorat. Nullus in praxi medica vel optime versatus esse potest, qui sponte nom fatetur maximam reperiri difficultatem in curandis mulierum, et puerorum morbis. Sola hysterica affectio, quæ pene infinitam ærumnarum seriem mulieribus affert, quibus auxiliis nunc coerceri, et debellari a nobis potest? Larvata ipsius morbi facies, multiplex causarum occasionalium series huic morbo patiendo apta, nervorum et reliquorum solidorum mulieris, (quæ morbi subiectum

constituunt) morbosa inemendabilis dispositio, atque alia id genus insperatam curandi rationem pene semper promittunt. Adde his modo meticulosam, vel rectius superstitiosam mulierum indolem, modo verecundiam, modo præceptis medicis resistentiam; quæ sane omnia difficiliorem reddunt curationem. Nec desunt casus, qui ex ipsa morborum natura difficultatem eruunt. Quis dicere audebit certa esse semper graviditatis signa? Quis mulierem gravidam acuto morbo correptam pristinæ sanitati facile restituere valet? Pueri ob solidorum imbecillitatem gravissimis subjiciuntur morbis, quorum enarrationem non possunt afferre. Neque eorum ætas patitur præcepta medica exacte adimpleri; ut proinde aut raro, aut ægre admodum puerorum morbi curentur.

Gravia igitur vel in ipso addiscendæ praxis termino vos manent adolescentes. At tanta rei difficultate perterriti, ne vereamini ultimam, ut dici solet, conficiendo operi manum admovere. Ego, cujus cordi est vestris servire commodis, vos apprehendam, et manuducam ea ratione, ut in via, quæ ducit ad cognoscendos,

dos, et facile curandos indicatos mulierum, et puerorum morbos, nè minimum quidem offendatis. Quidquid enim et veteribus, et recentioribus hac de re innotuit veluti per synopsim attingere curabo, quidque mihi hos morbos curanti observatione dignum contigit, fideliter enarrabo. Neque vel difficillimus casus occurret, quem facili negotio non dissolvam atque explicabo. Sic, favente Deo, hanc necessariissimam medicinæ partem summa facilitate, et claritate, ut ceteras praxeos meæ partes vobis tradere enitar. Quod si conatibus meis labor et studium vestrum obsecundaverit, spartam, quam nacti estis, pro mortalium bono facile adimplere valebitis. Rerum tractandarum methodus hæc est. Mulieres in quocumque statu sunt, suis semper morbis subjiciuntur. In virginali, & viduitatis statu menstruationis perturbationes, & hystericæ affectionis tyrannidem experiuntur. In conjugali sentiunt gravia incommoda conceptionis, gestationis, partus, & puerperii. Nos itaque primum virginum, inde gravida-

rum morbos expendemus. Pueri ſecundum variam tenellæ ætatis conditionem varios ſubſtinent morbos. Statim in lucem editi quibuſdam morboſis accidentibus ſubjiciuntur. Facti paulo grandiores lactis acrimonias, dentitiones, pertinaces tuſſes, ſuffocativos catarrhos, convulſiones, cruſtæ lacteæ, aliorumque hujuſmodi humorum acrimonias patiuntur. Omnes hos morbos, alioſque, quos brevitatis gratia heic omittimus, ſumma, qua decet, claritate & brevitate deſcribere curabimus. Valete.

DE MORBIS MULIERUM ET PUERORUM PRÆLECTIONES

ARTICULUS I.

Purgationis Menſtruæ Suppreſſio.

Quibus notis muliebre corpus a virili corpore differt.

§. 1. MUliebre corpus ea eſt lege fabrefactum, ut datis in temporibus conceptioni, indeque geſtationi obeundæ par evadat. Quamobrem ita eſt diſpoſitum, talique partium conformatione ornatum, ut laudato ſemper fini ſatisfacere rite poſſit. (*a*) Nimirum con-

(a) Simplici intuitu muliebre corpus inſpicientibus innoteſcere poteſt vel ipſa externarum partium diſpoſitio, qua ab virili corpore diſcrepat. Nam mulieres habent cavitatem pectoris mobiliorem, cujus in ſummo prominent mammæ turgeſcentes & oblongæ. Peluis eſt ampla abdominalis, cuius oſſa perbello modo aptan-

Menstruationis signa. conceptio, gestatio, partus, puerperium lactatio etc. functiones sunt, quibus absolvendis mulieres dicantur. At non omni tempore conceptioni opportunæ sunt. Circa decimum quartum ætatis annum huic operi videntur aptæ, et circa quinquagesimum desinunt ad concipiendum habere aptitudinem. In hoc tempore men-

---

tantur. Ossa ilia lateraliter extrorsum exporriguntur, pubis ossa sursum extrorsumque prominent, et os sacrum retrorsum fertur. Hoc ita fieri oportebat, quoniam scilicet crescenti in utero foetui, indeque per partum in lucem venienti opportunus, commodusque paretur locus. In ima hujus pelvis parte situs est uterus, cujus figura, situs, connexio, fabrica, etc. ex anatomicis innotescit. Ceterum pudendarum partium situs, et fabrica, debilior solidorum textura, admodum mobilis nervorum status, et his similia evidentem faciunt differentiam corporis muliebris ab illo virorum. Quapropter facile erui potest actiones mulierum, potissimum ad pudendas partes pertinentium differre ab illis virorum, ideoque morbi ipsas functiones lædentes peculiari sunt examine observandi.

menstruatio apparet, quæ incipit circa secundum septenarium, et desinit circa ipsius septenarii quadratum. Re quidem vera circa decimum quintum annum mulieres jam sui corporis perfectum incrementum habere videntur. Turgent mammæ et sororiantur, corpus grave & circa lumbos dolorosum pondus sentiunt morosæ factæ mulieres, et jam ab veluti colicis doloribus vexantur. Paulo post e pudendis stillat sanguis, et cum lavamine prædictorum symptomatum ad duos tresve dies stillare desinit. Huius evacuationis quantitas ut plurimum est a 10. ad 15. uncias. Cessat evacuatio hæc sanguinis exacte post mensem, præviis iisdem symptomatibus, reditura. Sic mulieres quolibet mense hanc patiuntur uterinam sanguinis evacuationem, (quam medici modo *menses*, modo *catamenia*, modo *tributa lunaria*, modo *flores*, modo *menstruationem* appellant) ad usque 45., vel 50. annum suæ etatis. Hoc in tempore cessat penitus sine ullo sanitatis detrimento memorata menstruatio.

Naturalem menstruationis legem non lædunt peculiares casus

§. 2. Hactenus exposita de menstruatione respiciunt universalem mulierum con-

conditionem, cui caſus peculiares nil poſſunt officere. Sic dantur puellæ ante 14. annum menſtruantes, et obſervantur mulieres poſt 60. annum habere et quidem copioſam menſtruationem. Novi matronam annorum ſupra 60. bis in menſe menſtruationem habere, optimaque frui ſanitate. Sunt nonnullæ, quæ paucas ſanguinis guttas quolibet menſe e pudendis educunt, et ſunt aliæ, quæ copioſam habent menſtruationem, ſine ullo ſanitatis detrimento. Video frequenter pulcherrimam jvvenem viduam, quæ quolibet menſe educit ab utero tres fere libras ſanguinis, et tamen alacris eſt, bonaque fruetur ſanitate. Sed repetere fas eſt hujuſmodi peculiares caſus univerſali menſtruationis mulierum legi officere non poſſe. Menſtruus ſanguis, qui ab utero excernitur optimæ eſt conditionis, neque verum eſt ipſum ferre totius mulieris corporis inquinamenta, indolemque idcirco habere venenatam. Nam is eſt ſanguis ille, qui per arterias ſani corporis ducitur, et is, quo utitur natura ad tenerrimam fœtus machinam alendam. Verum haud inficiari poſſum propter mo-

Menſtruus ſanguis bonus eſt.

moram, quam habet in uterinis vasis quandam ad putrescendum tendentiam ipsum posse adipisci, prout quisque sanguinem menstruum videns ex quodam fætore, quem sentit, intelligere potest. Hujus menstruationis causam esse plethoram apud cordatiores physiologos hodie statutum est. Hanc plethoram in corpore muliebri pariunt nonnullæ caussæ. Humidum, et molle earum temperamentum, vita iners, otiosa, semperque domi acta perspirationem insensibilem valde nimis imminuunt, quemadmodum ex Sanctorii, Dodartii, Gorteri, Lyninxiique observationibus constat. Hanc perspirationem copiosam ita esse, ut semper omnes sensibiles exertiones superet jam pariter probatum est. Quando itaque muliebre corpus tantam non habet quotidianam eductionem, bono redundat sanguine. Corporis viventis sanique lege sancitum est, ut defectum sensibilium, et insensibilium excretionum supplere debeat magna inguilinorum humorum assimilatio, quæ sane plethoram constituit.

Menstruationis caussam ex plethora est.

§.3.

Cur quolibet mense ex utero redundans sanguis exire debet.

§. 3. Demonſtrata in feminis plethora, videndum nunc reſtat cur circa ſecundum ſeptenarium ab utero exeat, cur ſemper poſt menſem redeat, curque deſinat circa ſeptenarii quadratum. Poſtquam muliebre corpus ob ſolidorum laxitatem citum adipiſcitur incrementum, aliquid in corpore redundare debet, quod antea partium faciendæ evolutioni inſerviebat. At ex demoſtratis in §. præced. ob imminutionem perſpirationis vaſa ſanguine bono debent redundare, ergo circa 14. annum, in quo deſinit feminæ incrementum conſtituitur in corpore plethora. Hæc univerſalis plethora majori copia colligitur in utero, et propter ſitum, quem tenet in pelui abdominali inferiorem, et propter peculiarem vaſorum diſpoſitionem. Nam uterum habet venas numero minores, et multo ſociis arteriis duriores reliquis ceterarum corporis partium. Ergo neceſſario in utero ſanguis colligi debet, qui urget villos exhalantes, et in ipſius cauum venit menſtruationem pariturus. Dum autem excernitur data ſanguinis quantitas, deficit ple-

plethora universalis, et peculiaris. Nec, nisi eædem essent causæ plethoram inferentes, menstruatio rediret. At redit post mensem menstruatio, quia memorata muliebris corporis dispositio tantum tempus requirit ad novam generalem, indeque particularem faciendam plethoram. Si mulier utero gerit, aut lactationem substinet, sanguis, qui redundare in suo corpore debet, et pro fætus nutritione, et pro lactis generatione impenditur, et ita durante gestatione, et lactatione nullam habent mulieres menstruationem. Cessat penitus menstruatio adveniente septenarii quadrato, quia deficiunt vires assimilatrices humorum, et uterina vasa maiorem adipiscuntur resistentiam. Deficit itaque sanguinis quantitas necessaria plethoræ constituendæ, et deficit ipsius trusiva vis dum vasorum uteri resistentiæ augentur.

§. 4. Naturalis hæc sanguinis mulierum eductio vitiari potest. Aliquando post pubertatem non apparet, & ad menses, ad annos, immo ad totam vitam ipsius defectus non raro protrahitur. Mulieres ad senium vergentes numquam menstruasse

Menstruationis suppressio quibus fit ex causis.

ſe novum non eſt videre. Huiuſmodi defectum menſium *emantionem* appellant. Aliquando ſupprimitur evacuatio, aut imminuitur, ſcilicet ſi mulieres habent menſtruationem, quam, data qualicumque cauſa, poſtea aut ſuppreſſam, aut imminutam experiuntur, Dicitur menſtruationis *ſuppreſſio*, aut *imminutio*. Poteſt tandem accidere, ut plus juſto ſanguis ab utero excernatur, tunc hæmorrhagia uteri conſtituitur.. Hoc in articulo de menſtuationis ſuppreſſione, et imminutione, in ſequenti de uteri hæmorrhagia verba faciemus, (*b*) Suppreſſionis vel imminu-

(b) Quæ ſunt mulieres tota vita menſtruationem non habentes hæ, aut per quoddam uteri vitium, aut per generales corporis cauſas hunc defectum patiuntur. Si v. g. uteri vaſa non habent momoratam §. 3. diſpoſitionem, qua venæ ſuis arteriis non ſunt reliquis partibus reſiſtentiores, tunc non conſtituitur peculiaris plethora, & menſtruatio non apparet. Si ipſa vaſa arterioſa naturali textura duriora, & reſiſtentiora, ut par ſit, in utero reperiuntur, ſane urgeri ab ſanguinis impulſu non poſſunt, & menſtruatio non apparet. Si vero

minutionis menſtruationis cauſæ aut in utero, aut in ſanguine quærendæ ſunt. Arctum, rigidumque vaſorum uteri ſyſtema, ſi ut dictum eſt, a nativitate cum virgine ortum ſit, quemadmodum ipſam numquam menſtruare patitur, ita, ſi adventitium per quodcumque accidens ſit ſupreſſionem menſtruationis facit. Hæc adventitia vaſorum uteri rigiditas ut plurimum oritur data externa cauſa. V. g.

Menſtruationis ſuppreſſionis cauſa in utero eſt recognoſcenda.

---

vero deficiunt in corpore mulieris cauſæ generalem conſtituentes plethoram, ut fibrarum laxitas, qua perſpiratio impeditur, & deficit vis humores aſſimilans, tunc non apparet menſtruatio, & nullam hoc in caſu noxam patiuntur mulieres. Tandem & per labem aut hæreditariam, aut connatam viſcerum ventriculi, nempe, lienis, hepatis, inteſtinorum, pancreatis etc. digeſtioni, chylificationique ciborum famulantium fieri poteſt, ut menſtruatio numquam appareat. Deficit enim plethora, quæ a bona chyli in viſceribus abdominalibus aſſimilatione potiſſimum incipit. Hæc uteri mulierum conditio eas ſteriles facere ut plurimum ſolet. Jugiter audio querelas divitis & nobilis hominis, qui in matrimonio coniungebatur cum virgine annorum unde-

g. ſi mulier fluentibus menſtruis nudis pedibus per frigidum ſolum non aſſueta ambulat, ſi inopinato corripitur timore etc. in menſtruationis ſuppreſſionem incidit. Plantam pedis cum viſceribus abdominis, et potiſſimum cum utero per nervos magnum conſenſum habere vel ipſa quotidiana experientia docet. Conſtrictis enim per frigus nervis pedum communicatur uteri nervis affectio, qua vaſa

---

undeviginti, quæ nondum menſtruationem habuerat. Jam ad ſenium perventa eſt mulier nec umquam menſtruationem vidit, quocirca facta ſterilis diviti conjugi exoptatam prolem non dedit. Hic vir ſemper maledicit vafritiam ſuæ conjugis parentum, qui, ut nobili, & diviti homini in matrimonium darent filiam ſilentio præteriebant ipſius defectum, quo circa 20. annum menſtruationem non viderat. Hæc matrona ſemper pallida, & excarnis eſt. Nec denegamus dari virgines, quæ virorum labores quotidianos æmulatæ ob auctam perſpirationem, auctamque vaſorum firmitatem nec habent plethoram, nec menſtruationem patiuntur. Hæ bona gaudent valetudine, & viro conjunctæ feliciter concipiunt & pariunt.

ſa uteri conſtringuntur, et menſtruatio continuo ſupprimitur difficile in poſterum reditura. Sic de timore ſentiendum eſt. Conſtringi per hunc affectum omnes corporis partes, et potiſſimum externas jam notum eſt. Univerſæ cutis pallor magnus, et frigus pavorem ſtatim excipiens id indicare poteſt. Eandem conſtrictionem uteri in actu præcipue menſtruantis vaſa ob pavorem accipere poſſunt mediis nervis, qua, factis juſto rigidioribus, menſtruationi præpeditur.

§. 5. Sed et eandem rigiditatem habere poſſunt vaſa uteri ob alias cauſas. Si intra uterum enaſcitur ulcus, quod poſtea in cicatricem abit, jam vaſa per memoratam cicatricem excurrentia duriora evadunt, atque ægre admodum diſtendenti ſanguini cedunt, et ſic ceſſat menſtruatio. Sic ſi tumor durus uterum corripit, vaſa ejus ab tumore compreſſa dilatari non poſſunt. Vidi frequenter mulieres ſcirrhum uteri geſtare, et menſtruatione carere. Nec novum eſt obſervare mulieres jvvenes abortum paſſas in menſtruationis incidiſſe defectum tota vi- *Id ipſum ſequitur.*

ta perdurabilem. Tanta enim perturbatione uterus per abortum afficitur, ut eius vasa non amplius distendi patiantur a venienti sanguine, et cessat penitus menstruatio. Hæ mulieres cum ægra vita sterilitatem dehinc coniunctam habent. (c) Et

(c) Mirari quis vestrum potest me in perquirendis suppressionis menstruationis causis abortum recognoscere, quasi nesciat post abortum advenire rupturam canaliculorum uteri, a qua potius hæmorrhagia uteri, quam menstruationis suppressio expectari debet. Is sane mirari desinit ad sequentia animum advertens. Post abortum fieri solet vulvus uteri, quod transit in cicatricem obcallescentem vasorum indolem facientem. Quando abortus oritur tales sunt causæ supponendæ, quæ utero tantam læsionem inferunt, quanta valet perturbare naturalem ejus oeconomiam, ut non sit sufficiens naturali obeundæ functioni, idest foetum gestare, & in lucem edere. Si uteri substantia perturbatur non possunt vasa suo naturali fungi officio, idest non possunt cedere trusivæ sanguinis vi, ideoque non dehiscunt sanguinem effusura. Vidi non raro post abortum mulieres habere puerperii suppressionem, neque amplius menstruatione gaude-

Et inter uteri vitia menſtruationem impedientem numeranda eſt illa pellicula, quæ adnaſcitur aut ad oſtium colli uteri, aut ad internam vaginæ ſuperficiem. Hac fit ut venienti ab utero ſanguini via penitus occludatur. De hac membrana orificium uteri præternaturaliter occludente mentionem facit Hippocrates (*d*).

---

dere. Recordor juvenis annorum 18. robuſto viro in matrimonium conjunctæ. Hæc ob magnum inopinatum metum trimeſtrem abortum, præviis ſummis uteri cruciatibus, patiebatur. Poſt duos dies ſufficientibus uteri expurgtionibus ſine cauſa manifeſta orbata eſt. Poſt id varios per abdomem diſperſos dolores cardialgiam & colicam æmulantes habuit, a quibus opiatorum remediorum ope liberabatur. Paulo poſt rediit ad priſtinum ſanitatis ſuæ ſtatum. Verum octavum nunc currit annum et neque amplius concepit, neque, menſtruationem vidit. Tota eſt pallida, et humoribus lentis, viſcerumque abdominalium obſtructione laborat. Subeſt animo meo metus bonis moribus ornatam juvenem in lencophlegmatiam incidere.

(d) In lib. de natur. Muliebr. & de mulier, morb. Cart, T. VII. p. 710.

Et fatetur egregius Benevoli, ſe curaſſe virginem diu menſtruationis ſuppreſſionem habentem indroductione catheteris. Laborabat hæc virgo etiam veſicali iſchuria, cui occurrebat catheteris immiſſione intra urethram. Sed catheter intra vaginam fortuito immittebatur, et adhibita vi rumpebatur pellicula ſuperius vaginæ orificium obcæcans. Hac diſrupta pellicula cum multo ſanguine educto ab utero veniente, tumor, qui ab congeſto intra uterum multo ſanguine oriebatur, diſparebat, et ablata preſſione collo veſicæ urinariæ facta, urina ſponte fluebat, et menſtruatio dehinc apparuit. (*e*) Recordor virginis annorum 17. ab ſuburbano oppido venientis, noſtrumque noſocomium petentis, quæ diris abdominalibus doloribus, et potiſſimum uteri ac vaginæ ragionem occupantibus quærebatur. Dum explorabantur pudenda, ut in affectam ſedem morbi cauſam invenire potuiſſemus obſervata fuit denſa pellicula circularis

---

(e) Adire poteſt. Benevoli Obſervat. p. 80. et ſeq.

laris ostium vaginæ penitus occludens. Narrabat mihi mater virginem numquam fuisse menstruatam. Pelliculam statim abscindendam præcepi. Hac ubi incidebatur atri coloris sanguis ad plurium passuum distantiam effundebatur. Exierunt e pudendis adolescentulæ quindecim fere libræ humoris fætidi nigricantis coloris cum summo ægrotantis emolumento. Post hanc operationem discessit e nosocomio virgo, nec aliud de ea rescivi. Quod de pellicula obcludente ostium vaginæ, aut orificium uteri sentiendum quoque est de imperforatis, aut de naturali vaginæ angustia nec humorem ullum transeuntem, nec aliud durum corpus admittere valenti. Non raro præcipiunt chirurgi virginibus coniugatis ob summam vaginæ angustiam virum admittere non potentibus pessaria ex radice gentianæ, quibus sensim dilatari solet vagina, ut et menstrua, et penem commode pertransire, patiatur. Imperforatæ chirurgica quoque ægent manu.

Quæ caussæ faciunt menstruationis suppressionem ad sanguinem pertinentes.

§. 6. Caussæ vero, quæ ipsum sanguinem respiciunt sunt omnes illæ, quæ valent ipsius lentorem generare, quo effici-

 tur

tur, ut penetrari anguſtiſſima vaſorum uteri exhalantia oſcula non poſſint, et menſtruatio aut deficit, aut imminuitur. Notum enim ex phyſiologicis eſt ſanguinem dato impetu præditum eſſe debere, ut datam vaſorum uteri reſiſtentiam poſſit ſuperare. Quando eſt viſcidus et lentus ſanguis ex velocitatis defectu hunc impetum adipiſci nequit. Multas ab cauſas ſanguis viſcidus evadit. In primis conſiderari debet debilitatus fibrarum tonus, quo efficitur, ut ſanguinis elementa non poſſint intime commiſceri, et uniri, unde in lentum abeunt fluorem. Sic ſi oritur in corpore mulieris plethora, quæ ab cauſſa quacumque, nempe a ſuſcepto inaſſueto pedum frigore, a pavore etc. per uterum exonerari nequit, tunc redundans in corpore vaſa plus juſto diſtendit, debilitatque. Sic ob defectum oſcillationis vaſorum in lentorem abit ſanguis, conſtituiturque ita menſtruationis defectus. Vita admodum ſedentanea, et iners ſolida etiam debilitat. Diuturnus mæror eundem in ſolidis parit effectum. Acutus morbus & potiſſimum

datæ

data febris ſolida, & uterum afficere valens menſtruationem impedit. Poſt morbos acutos ſolida debilitari cunctis innoteſcit (*f*). Sed & dantur aliæ cauſæ

(f) Mihi praxim exercenti frequenter contigit videre per venientem febrim uteri expurgationes, & potiſſimum menſtruationem deficere. Id contrarium eſſe videtur rationi, qua creditur auctum per febrim circulatorium motum excretiones, ſecretionesque humorum, aut alias ſanguinis eductiones augeri debere. Verum attente rem perpendenti innoteſcere poteſt ſanguinis eductiones augeri quando circulatorius motus augetur naturali non præternaturali modo. Sic a ſaltu, pilæ luſu, choræa, a calefacientibus & ſpirituoſis ingeſtis, ab magna lætitia, magnaque ira, longa deambulatione, equitatione etc. auctum circulatorium motum excipit aucta menſtruatio. Quando circulatorius motus per febrim augetur, tunc hic motus eſt perturbatus, neque ſanguis tantam truſivam vim habet naturalem, quanta ſatis eſt vingendis vaſorum uteri reſiſtentiis. Nam, ut fuſius in lib. de febrib. noſtro demonſtratum eſt, in febri adeſt virium vitalium, & voluntariarum improportio. Hoc fit ex perturbato fluidi nervei in partes ſub ca-

ſæ ipſum ſanguinem afficientes. Sic ciborum difficilis digeſtionis, & ſpirituoſorum abuſus poteſt ſanguinem lentum & viſcidum efficere. Quæ mulieres carnibus fumo & ſale duratis, leguminibus, fungis,

---

capite ſitas influxu. Hunc perturbatum influxum ſpirituum excipit univerſalis muſculorum debilitas, quæ vulgo dicitur *debilitas febrilis*. Hæc debilitas fit a languida fibrarum oſcillatione, qua efficitur, ut arteriæ licet celeri & frequenti oſcillatione ſanguinem urgeant, attamen ei levem, & veluti fatuum dant impulſum. Hinc deficiente vi truſiva in ſanguine, deficit ratio, qua vaſa uteri dehiſcant, ſicque ceſſat menſtruatio in febri. Hoc ratiocinium licet verum eſſe poſſit, attamen nos ſemper putamus, quaſdam febres peculiari modo uterum afficere, in eo ita conſtituentes perturbatum fibrarum, vaſorum, & nervorum ſtatum, quo viſceris functio læditur. Hinc quemadmodum a quibuſdam febribus ſupprimitur menſtruatio, fluxus lochialis, aut alia uteri expurgatio, ita a quibuſdam aliis febribus hujuſmodi evacuationes morboſe nimis augentur. Sic mulieres ſub febris cujuſdam ingreſſu habere uteri hæmorrhagiam novum non eſt in praxi exemplum.

gis, pinguibusque cibis nec non spirituosis liquoribus nimis indulgent in menstruationis suppressionem incidunt propter summum sanguinis enatum lentorem. Vidi superioribus mensibus nobilem virginem in menstruationis defectum incidere ob gelidarum potionum abusum. Et mulieres, quæ in aere crasso, & humido, omnique pene elatere expoliato vivunt ob solidorum inertiam, & fluidorum lentorem menstruationis defectum pariter habent. Odores svaveolentes, veluti moschi, thuris, rosarum, caryophillorum, atque aliorum corporum suavia effluvia emittentium supprimere actu fluentem menstruationem experientia docet quotidiana. Hoc per nervorum consensum accidere certum est. Tandem & eundem morbum concipere possunt illæ mulieres, quibus deficit veneris exercitium. Hoc accidere potest & ob mærorem, quo animus ob tantopere exoptatæ functionis defectum afficitur, & ob deperditam frictionem, quam uterus & vagina in venere substinet, & ob defectum seminis vasa & fibras corporis mulieris spirituosa veluti elasticitate replentis. Nulla heic

heic occurrit mentio de lentore illo, quem ſanguis concipere poteſt ab ingreſſu cujuſdam morboſi, degeneris, & forſan venenati humoris, nempe gallici, cum id vel ſimplici meditatione vobis notum eſſe poſſit, noſque alibi venereos morbos deſcripturi rectius expendere tentabimus.

Suppreſſæ menſtruationis ſigna. §. 7. Ex his, aut aliis ex cauſis orta menſtruationis ſuppreſſio in mulieribus ſuis non caret ſignis, ſymptomatibuſque a medico rite noſcendis. Totius corporis gravitas & inertia magna perſentitur, animus evadit triſtis & moroſus. Cerebri functiones quodammodo læduntur, & ſi hyſteriſmus affligit, ſævior evadit. Reſpiratio parum fit anheloſa, qui anhelitus ad levem motum augetur, ciborum digeſtio vitiari incipit, & frequenti aut acido, aut nidoroſo ructu mulieres vexantur. Et frequenter lingua albo ſordidoque velamine operitur. Cutis, & faciei color præprimis rubicundus eſt, inde paulatim incipit albeſcere uſque dum deſædatus, & nimis pallidus evadit. Pulſus ſunt in primis turgidi & pleni, dehinc languidi, & ſi ad cache-

chexiam morbus accedit incipit quodammodo cutis tumere, & pedes oedemate corripiuntur. Nec raro accidit, ut redundans ſanguis in vaſis ſibi per extraordinarias corporis partes viam faciens foras exeat (*g*). Horum phænomenorum ratio

(g) Mira & ſtupenda ſunt, quæ practicis quotidie occurrunt loca videntibus, per quæ exit ſanguis menſtruus. Nec inſtitutionum ſtricta ratio patitur omnia recenſere, quæ ab auctoribus dicta ſunt circa inconcruas vias, quas tenet ſanguis extra corpus exitum tentans. Nonnulla tantum attingere lubet. A puerili ætate uſque ad ſexageſimum annum vidit Panaroli mulierem per vomitum ſanguinem menſtruum educentem Pent. I. Obſer. *6*. Schenckius viderat virginem monialem carnoſam & ſanguine plenam ſingulis menſibus per oculos & aures menſtruare. Obſervat. medic. Lib. IV. p. *630*. E naribus ſingulis menſibus exire ſanguinem in muliere menſtruationis ſuppreſſionem habente cum ſummo levamine obſervavit Bartholinus Obſer. Acad. v. 5. obſerv. 74. Hoc in praxi quotidie medici obſervant ſicque confirmatur quod dixerat Hippocrates lib. aphor. v. n. 33: *mulieri menſtruis deficientibus ſanguinem ex naribus fluere bonum eſt*. A

ratio hæc eſt. Poſt menſtruationis ſuppreſſionem vaſa ſanguinea plus juſto ſanguine turgent. Oritur compreſſio, quam ſequitur neceſſaria circulationis humorum tarditas, hinc & pauca fluidi

---

A gingivis, & dentibus exire menſtruum ſanguinem viderunt Roſſenius de homin. primord. c. 28. p. 148. Heurnius, Hollerius & A. Luſitanus apud Bartol. hiſt. medic. 16. cent. 1. p. 72. Eundem ſanguinem e calvariæ capillis ſtillare quolibet menſe obſervavit Sylvius de Leboe prax. medic. lib. 3. c. 33. Per ſudoris vias exire menſtruum ſanguinem referunt acta Berl. decad. IV. V. Ruyſchius refert in epiſt. ad Boerhaavium ſe vidiſſe mulierem ab epidermide ſanguinem ſtillare. Per fonticulos, per ulcera exire quolibet menſe ſanguinem referunt Medic. Eſſais and. obſerv. T. III. n. 24. & Hallerus in comment. Prælect. Boerh. t. 667. Per oeſophagum, ventriculum, alvum perque os exire ipſum ſanguinem viderunt Luſitanus, Boerhaavius, Werehyenus, Ruyſchius, aliique. Nos vidimus virginem, cui poſt metum continuo ſupprimebantur menſtrua actu fluentia. Ab anno 16. uſque ad 24. ſanguinem eduxit e pulmonibus, e ventriculo modo cum tuſſi, modo cum vomitu, e naribus, ab

di nervei quantitas ſecernitur, & imminuitur excretorum eductio. Sic augetur corporis pondus, & animus ex perturbata naturali corporis oeconomia evadit triſtis, Semper in corpore ægro triſtis per *legem aſſociationis* animus eſt. Et quemadmodum ob imminutam ſolidorum actionem lympha lenta & craſſa eſt, nil mirum ſi lingua, tota interior oeſophagi, ventriculique ſuperficies albo obtegatur velamine; nilque mirum ſi aut dyſorexia, aut pica corripiatur virgo. Cum autem ob auctam ſemper in dies arteriarum diſtenſionem imminutamque idcirco earundem oſcillationem ſanguinis elementa uniri & conjungi non poſſint, factum eſt, ut ipſe ſan-

---

ab oculis miro quidem & ſtupendo modo, ita ut per octo & plures annos in omni menſtruationis periodo, clauſo penitus utero, viam modo unam modo aliam ſibi ſternebat ſanguis foras exitum tentans. Patet igitur ex his nullam eſſe in corpore muliebri partem e qua manſtruus ſanguis exire non poteſt.

ſanguis in ſerum faceſſat, quod ſerum ad totam corporis ſuperficiem undique ducitur pallidum facturum colorem. Et auctis in dies hujuſmodi ſeri particulis auctoque ob ſolidorum imbecillitatem humorum lentore, turgere incipit cutis, & oedema ad pedes adparet. Sic ad leucophlegmatiam ſternitur via.

Suppreſſionis menſtruationis præſagium.

§. 8. Hiſce, aut ſimilibus ſymptomatibus menſtruationis ſuppreſſio in virginibus ludit. Et patet evidenter verum eſſe quod Boerhaavius dixerat (*h*) turbari ex hac cauſſa functiones omnes animales, vitales, & naturales. Nam aut dicatur ſanguinem menſtruum ob quandam moram & naturalem calorem in utero acquirere ad putreſcendum tendentiam, ſive dicatur ſanguinem menſtruum redundare in corpore vaſa arterioſa debilitare aptum, ſane ab utraque cauſa memoratæ functiones lædi poſſunt. Nam quando degener & vitioſus ſanguis fertur ad caput tenerrimam cerebri compagem læſurus omnes animales functiones

nes

(h) Aph. 125. de cogn. & curand. morb.

nes perturbari debent. Id Hippocrates indicare voluit dicens (*i*) *Menſes non ſupprimi utile. At ex ſuppreſſis fiunt comitiales morbi*. Nec novum eſt videre ex ſuppreſſa menſtruatione nymphomaniam ortam, quæ delirii ſpecies eſt. Et Celſus (*k*) ſubjungit *quibus feminis menſtrua non proveniunt, neceſſe eſt capitis acerbiſſimi dolores ſint*. Hujuſmodi vitiatus ſanguis ad pectoris, & abdominis viſcera ductus eorum functiones perturbare debet. Quod ſi per auctam nimis plethoram vaſa proprio elatere orbantur, tunc perturbatam circulationem functionum omnium læſio excipiat neceſſe eſt. Quod ſi ſanguis per alias vias, quemadmodum notavimus (*l*) educitur, cum non niſi per vitiatam, & perturbatam organiſmi actionem exeat vita mulieris in tuto non eſt. Et diuturnam menſtruationis ſuppreſſionem, lumborum, &

(i) Coac. prænot. *n.* 522.
(k) Lib. 2. c. 7. p. 58.
(l) Not. §. præced.

& coxendicum dolores, viſcerum abdominalium obſtructiones, perturbationem digeſtioni, & chylificationi dicatarum virium, cachexiæ, & hydropis ortum, tandemque mortem ſequi praxis quotidie eſtendit. Putat cl: Aſtruc *(m)* non requiri gravem in utero læſionem, ut inde feminis magna oriantur incommoda; ſat erit uterum habere ob ſuppreſſionem menſtruæ purgationis vaſorum diſtenſionem, & nervorum aliqualem irritationem, & ob regiminis imperium, quod habet uterus in corpore muliebri miras excitari perturbationes, functionumque læſiones medicis quotidie datur videre.

Menſtruæ purgationis ſuppreſſio quomodo curari debet.

§.9. Ad curationem quod pertinet, jam ſatis probatum eſſe puto menſium ſuppreſſiones fieri & ab uteri vitiis, & a ſanguinis lentore; & vos rite hunc affectum curare non poteſtis, niſi hiſce proſpiciatis cauſis. Nimirum factis juxta ſolitum reſiſtentioribus rigidioribuſq. uteri vaſis emollientibus, & relaxantibus

(m) De morb. mulier. T. 26. 79.

bus medicamentis occurrere debetis. Hinc fotibus ex malva, althæa, foenugræco, chamæmelo, & his similibus herbis emollientibus paratis emolliri uteri vasa debent. Quapropter præcipiendum virginem sedere pluries de die supra vas calidis hisce decoctionibus plenum ea ratione, ut vagina excipiantur fotus emollientes. Et pariter utile admodum erit insessus earundem decoctionum parare, in quibus repetitis in die vicibus virgo immergi debet. Neque nos pænituit conjugatæ mulieri mensium suppressione ex vasorum uteri rigiditate laboranti siphone intra uterum immittendas decoctiones memoratas, præscripsisse. Harum decoctionum contactu mirum quantum, emollita fuerint vasa uteri, & facilem distentionem, indeque dehiscentiam recipientia sanguinem menstruum ubertim effuderint. Neque interno horum remediorum usui parcere debetis. Copiosam decoctionem chamæmeli, multam quantitatem seri lactis cum eadem decoctione copulati non sine magno fructu propinatam observabitis. Postquam hæc medicamenta per aliquot dies data

ſunt, nec apparet adhuc menſtruatio, interim videtis nimis redundare in corpore ſanguinem, præſtat phlebotomiam inſtituere ex pedis vena ea ratione, ut accelerata ſanguinis velocitate per vaſa hypogaſtrica contra auctam reſiſtentiam vaſorum augeatur truſiva fluidorum vis. Nec raro contigit videre poſt hanc inſtitutam medicinam redire menſtruationem. Sunt qui ad obſtinatas menſtruationes ſuppreſſas revocandas adhibent aut cucurbitas ventoſas inguinibus, & ſinui muliebri, aut vulvæ labiis hyrundines, aut methodo Archibaldi Hamilton utuntur. (*n*) Quod ſi uterus calloſa cicatrice, ſcirrho,

---

(n) Sanæ virgini defecerunt actu fluentes menſes ob ſuſceptum intempeſtive frigus. Roſeus faciei color in pallidum commutabatur, appetitus, & ciborum digeſtio depravabatur, pulſus erant languidi, magna corporis inertia ſolita exercitia impediebat. Huic curandæ virgini arceſſitus laudatus Hamilton duodecim ante menſtruationem diebus vapori tepido exponebat virginis pudenda, & ſequenti die dabat catharticum aloeticum. Poſt hoc veſperi hora ſeptima ſplenium adplicavit cruralibus arteriis eo in loco, in quo *tourniquet* apponi pro extirpatio-

rho, aut alio duro tumore captus ſit præſtat & interno, & externo emollientium memoratorum medicamentorum uſum pariter inſtituere. Semicubea bis

C 2 de

---

tione femoris ſolet. Splenium, circumducta faſcia, premebat crurallem arteriam, ſed non tam valide, ut penitus ſanguinis curſus impediretur. Eodem in tempore aquæ tepidæ vapori virgo exponebatur. Poſt mediam ab incæpta operatione horam ægra ſentiebat pondus, & plenitudinem in regione uteri, pulſuſque apparuit frequentior. Datum fuit hoc in tempore cardiaci remedii parum, & poſt ſeſquihoram ab adplicato ſplenio apparuerunt menſtrua, quæ triduo abſque ulla moleſtia fluerunt. Secundo a fluxus menſtrui die ſplenium ablatum fuit. Hoc methodo frequenter obſtinatiſſimas menſium ſuppreſſiones curaſſe cl: Hamilton fertur Eſſ. and. obſerv. Phyſ. T. 11. p. 406. Neque apud nos hujus machanici artificii virtus ad provocandos ſuppreſſos menſes fruſtunea fuit. Remedii Operatio in hunc modum eſt intelligenda. Ligamenta uteri rotunda veniunt ab intimis uteri partibus, & intra inguina ſe diſperdunt. Ipſa vaſorum ſanguineorum eſſe complexus ad inſtar funiculi factos notum ex anatome eſt. Hæc vaſa cum iliacis, & cruralibus vaſis communicant. Facta compreſſione

ne

de die instituenda sunt. Et tentabunda veluti manu extracti cicutæ mediocrem quantitatem cum sero lactis copulatam quolibet mane sumptam præscribere haud vanum erit. Si adest membrana orificium vaginæ, aut collum uteri obcæcans hæc est diligenti chirurgi manu abscindenda. Et summæ vaginæ angustiæ occurrendum est pessariis ex radice gentianæ, ut jam diximus, confectis.

Pro curatione suppressæ menstruationis lentus sanguis est solvendus.

§. 10. Remedia, quæ sanguinis lentorem tollunt innumera esse possunt. Ante horum remediorum præscriptionem bonum erit repetitis emeticis ex radice ipecacuanhæ cum granulo tartari emetici copulata paratis excutere primas

---

ne in vasis iliacis, & cruralibus impeditur fluxus sanguinis ab ligamentis venientis. Turgent itaque sanguine hæc ligamenta, & ideo non recipiunt illum venientem a vasis uteri, quæ ultra debitum dilatata dehiscunt, sanguinemque emittunt. Hujusmodi medicamenti virtus in variis mulierum ægritudinibus, semper autem pertinentibus ad uteri vitia locum quoque habet, prout ex dicendis infra potebit.

mas vias, atque educere inertem viſcidumq: humorem eas occupantem. Hoc remedii genus eo potiſſimum convenit, quo morbus in chloroſim converſus ſit, primarumque viarum viſciditas multa adſit. Solidorum debilitas martialibus præprimis tollenda eſt. Nobis in uſu eſt cum limatura chalybis ad drachmam ſemis gummi ammoniacum ad grana 20. copulare Utrumque remedium in pilulari forma redactum quolibet mane ſumendum jubemus, eique ſuperbibendam concedimus aut chamædrii, aut ariſtolochiæ rotundæ, aut ſalviæ montanæ, aut majoranæ, aut ſabinæ, aut artemiſiæ largam decoctionem. In horum remediorum præſcriptione diu eſt inſiſtendum uſque dum menſes appareant. Frictiones per totum corpus mane & ſero pannis aſperis faciendæ ſunt, & motus aut pedeſtri itinere, aut equitatione inſtituendus, aeriſque e paluſtri & cænoſo in elaſticum, & mineralibus effluviis plenum mutatio facienda eſt. Annuente tempeſtate thermalium aquarum, & maris balnei uſum ſummopere profeciſſe vidi. Et in promovendis menſibus electriciſ-

mum summopere quoque valet. Hujus remedii efficacia eo vel maxime elucet, quo solidorum imbecillitati tollendæ, humorumque lentori dissolvendo electricam materiam valere omnibus notum est. Nec post Cl. Bircherii observationes (o) de tanti remedii virtute ad promovendos menses ullum restat hodie dubium.

Emmenagogorum recta administratio.

§. 11. In emmenagocis autem recensendis remediis recta institutionum ratio restrictum me tenet. Nec vobis deficit videre vel ex populo quempiam, qui suum non laudat ad promovendos menses specificum. At pro rei veritate fatendum est sanguinis lentorem nonnulla remedia dissolventia potentissime menstruationem arcessere. Sic gummata amara, veluti ammoniacum, sagapenum, bdellium, & his similia emmenagoga poten-

(o) Adeatis quæso adolescentes cl. Viri Archiatri nostri Joannes Veventii de Electricit. Theor. & Pract. Cavalli, & Bircherii observation. traduct. in qua miræ notantur observationes de virtute electricismi in curanda suppressa menstruatione.

tentiſſima ſunt. Inter hæc eminet gummi ſagapenum, cujus virtutem poſt clariſ. viri (*p*) monita pro curando morbo, de quo ſermo eſt, efficaciſſimam non ſemel obſervavimus. Nobis in uſu eſt gummi ſagapeni drachmam unam cum pulveris ſabinæ, aut ariſtolochiæ rotundæ eadem quantitate copulare, & in forma pilulari exhibere. Hiſce pilulis ſuperbibendam concedimus aut ejuſdem ſabinæ decoctionem, aut ligni quaſſiæ infuſionem. Pro arceſſenda menſtruatione laudant nonnulli crocum cum extracto cicutæ conjunctum, cujus remedii virtutem pluries expertus ſum feliciſſimam in iis caſibus, in quibus cum ſanguinis lentore copulata eſt uterinorum vaſorum obſtructio. Semper autem in hujuſmodi emmenagogorum remediorum exhibitione cauti eſſe debetis adoleſcentes, ne malum mulieribus inferatis. Hoc evenire poterit aut ſi cum ſpaſmo, & con-

---

(p) Charteuſerii, cujus pharmacopæam conſulere poteſtis, in qua de hoc remedio bene ſcriptum, invenietis.

Quibus signis mensium suppressio a graviditate est separanda.

convulſione uteri ſuppreſſio menſtruationis eſt conjuncta, aut ſi, huiuſmodi ſuppreſſio graviditatis eſt effectus. In primo caſu irritatis per remedia emmenagoga uteri nervis augetur vaſorum conſtrictio, & morbus confirmatur. In ſecundo abortus provocatur [q].

AR-

(q) Nulli non innoteſcit graviditatis tempore mulieribus menſtruationem deficere. Quando per certa ſigna graviditas nota eſt ſanguinem menſtrum pro fœtus ſubſtentatione inſervire debet, ipſumque per uterinam purgationem velle educere piaculum eſt. At dantur caſus, in quibus aut non certa eſt graviditas, aut per malitiam occultatur, quemadmodum facere ſolent mulieres, quæ per venerem furtivam concipiunt; tunc per emmenagoga præſertim vehementiora ab imprudenti medico exhibita abortus promoveri poteſt. Quamobrem adoleſcentes etiam atque etiam vos monitos volo, ne a mulieribus graviditatem ſimulantibus decipiamini. Erit enim non ſine gravi veſtra culpa per neglectam rerum ad praxim pertinentium obſervationem ex datis in gravida emmenagogis commiſſum homicidium. Ad tantum errorem evitandum ſequentia diligenter perpendatis oportet. Quando mu-

ARTICULUS II.

Uteri Hæmorrhagia.

§. 12. MUlieres ſingulis menſibus datam ſanguinis quantitatem ab utero educere certum eſt. Hæc ſanguinis quantitas durante menſtruationis tempore proportionalis eſſe debet ætati, victui, regioni, in qua vivitur, & dato vitæ generi. Si vero proportio- *Quænam eſt uteri hæmorrhagia.*

---

mulier eſt gravida, quo creſcunt graviditatis menſes, eo augetur vultus vivacitas & rubicundus color, atque in bona ſanitatis conditione conſtituitur. Contra quando mulier menſtruationis ſuppreſſionem patitur, eo magis defædatur color faciei, ſanitaſque læditur, quo creſcunt ſuppreſſæ menſtruationis menſes. Quando mulier concipit ut plurimum tuſſi, vomitu, & conſuetorum ciborum faſtidio corripitur. Id non accidit in menſtruationis ſuppreſſione. Gravida mulier habet mammas turgidiores, & grandiores, & laboranti menſium ſuppreſſione minores & flaccescentiores evadunt. Poſt quartum menſem jam motus in utero perſentitur a gravida muliere, & jam in-

tionalem menſuram harum omnium rerum excedit ſanguis menſtruus, tunc hæmorrhagia efformatur, quæ ſemper virium debilitatem inferre ſolet. Quapropter non omnis excedens ſanguinis quantitas ab utero educta hæmorrhagiam conſtituit, quia poſſunt dari mulieres, quæ ſine ſanitatis detrimento ſubſtinent magnam ab utero factam ſanguinis evacuationem, ſed tantum illa, quam

---

incipit ob diſtenſum uterum turgere abdomen; Et non raro quædam pulſationis ſpecies uteri regionem explorantis medici manui occurrit, & pulſus dycrotus apparet. Hæc omnia in menſtruationis ſuppreſſione deficiunt, in qua affectione lingua ut plurimum albo velo ſordeſcit & deficit urinæ mingendi crebra cupiditas, atque teneſmi ſpecies, quæ in graviditate apparet. Hæc a vobis optime cognita de adminiſtrandis in ſuſpicione graviditatis emmenagogis cautos admodum reddunt. Licet non negaverim aliquando hujuſmodi ſigna etiam eſſe fallacia. Id potius ſummæ rei difficultati quam medicorum culpæ tribuendum eſſe cordatiores practici ſemper docent. At de graviditatis ſignis redibit infra ſermo.

quam ſequitur virium debilitas. Dupli-ci modo ſanguis ab utero exire poteſt aptus morbo, de quo ſermo eſt, pariendo; vel enim per plures dies, immo & per totum menſem guttatim effunditur, vel adveniente die menſtruationis ſimul & ſemel ubertim educitur. Utroque enim modo ſanguis eductus virium debilitatem infert. Verum aptiori ſenſu practici cordatiores primum modum, quo ab utero excernitur ſanguis vocant *ſtillicidium*, ſecundum *hæmorrhagiam*. Hujus morbi cauſam aut in utero, aut in ſanguine quærendam eſſe ſanior dictat ratio. In utero eſſe debet vaſorum atonia, in ſanguine non parva fluiditas, & acrimonia. Nam ex phyſiologicis innoteſcit vaſorum reſiſtentiam ad vim fluidorum impellentem eſſe ut 20. ad 1. Hoc eo conſilio effecit natura, ut, quo fieri poſſit, vaſa impellentibus fluidis reſiſtant, ne levi ex cauſa aucto circulatorio motu diſruptis vaſis ſanguis extra circulationis alveum effunderetur cum ſummo vitæ detrimento. Hinc patet aut truſivam fluidorum vim admodum augeri debere, ut tantam re-

Quænam eſt hæmorrhagiæ uteri cauſa.

resistentiam naturalem vasorum superet, aut admodum debilitari debere contextum vasorum, ut naturali fluidorum impetui resistere nequeat, & utroque modo sanguis effunditur. Quare si vasa uteri atoniam contrahunt, nil pronius est, ut collecto intra ipsa sanguini facilius cedant, & hæmorrhagia constituitur.

Quænam sunt causæ hæmorrhagiam facientes.

§. 13. Nil itaque mirum si omnes causæ vasa uteri debilitare aptæ hæmorrhagiam efficiant. Sic post trium, quatuorve mensium suppressionem accidit uterina hæmorrhagia ex ratione, qua ultra debitum distensa vasa ab collecto sanguine in magnam atoniam facessere credendum est. At in eandem imbecillitatem incidunt propter abortum, aut laboriosum partum, quo vehementer distrahi debent; sic efficitur, ut mulieres post abortum, aut partum laboriosum in uterinam hæmorrhagiam incidant. Neque heic intelligimus hæmorrhagiam illam, quæ immediate partum aut abortum sequitur [de hac alibi mentionem faciemus], sed de illa hæmorrhagia, quæ ordinate accidit juxta menstructionis periodum, nunc sermo est.

eſt. Sed per ictum vehementem, perque vulnus & ſummam diſtentionem, & lacerationem pati pariter poſſunt uterina vaſa, quapropter ſummam ſanguinis quantitatem educere debent. Et immodica venus, ac peſſariorum abuſus ob ſummam, quam infert vaſis uteri diſtentionem hæmorrhagiam arceſſere poteſt. Id eo vel maxime accidit, quo delicatulæ compagis mulieres cum robuſto, & mentulato viro ſæpius coheunt. Vidi frequenter hujuſmodi indolis juvenes, quæ quotieſcumque debita matrimonii ſolvebant non parvam quantitatem ſanguinis ab utero emittebant. Emollientes vapores diu vagina excepti ob multam, quam utero inferunt mollitiem morbum arceſſere valent. Superioribus diebus conſilium meum petebat virgo annorum 25 doloribus uterinis vexata. Præſcribebam ſanguinis miſſionem, ſemicubea emollientia, narcotica. Ab hiſce remediis levamen virgo obtinuit, & admodum reficiebatur intra inſeſſus emollientes ſedens, in quibus immergebatur poſtquam per horam vagina exci-

cipiebat vapores emollientes. Poſt quindecim ab hiſce remediis dies apparuerunt flores debito ceteroquin tempore, qui ita copioſi fuere, ut morti proximam pulchram juvenem reddiderint.

Indicantur aliæ hæmorrhagiæ cauſæ.

§. 14. Et ſanguis ſive in aucto impetu, ſive in aucta fluiditate vitiatus hæmorrhagiam uterinam parere poteſt. Sic obſervamus omnes cauſas ſanguinis motum augere volentes morbum arceſſere. Curſus, ſaltus, vociferatio multa, crebra ſternutatio, vomitus repetitus, magnus conatus in ſublevando pondere, in fæcum duratarum eductione procuranda ſummi conatus, (quibus per diaphragmatis, muſculorumq. abdominalium actionem uterus valde comprimitur), choræa, frictiones, equitatio, & his ſimilia ſemper modum excedentia, ex eo quia augent circulatorium motum, uterinam hæmorrhagiam parere poſſunt. Animi pathemata vehementia, ut ira & lætitia id ipſum efficere poſſunt ex ratione, qua pariter hiſce pathematibus concitatior ſit humo-

morum motus (r). Balinea calida, hypochausta mineralia, ciborum aromaticorum, & spirituosorum liquorum abusus,

---

(r) Plures in praxi mihi occurerunt casus, quibus vidi per animi pathemata factam uterinam hæmorrhagiam. Sed inter omnes sequens valet. Juvenis annorum 22. in matrimonio conjungebatur cum viro annum 40. agente. Post aliquot a matrimonio menses ob facinus, quod falso ei imputabatur ad evitandas pænas a lege magno sceleri addictas clam discessit in partes longinquas bonis moribus ornatus vir. Et ne locus, in quo morabatur indicaretur epistolas suæ conjugi non mittebat. Post annum elapsum tandem juvenis epistolam accepit, quæ nuntiabat sui viri obitum. Flevit amare sui conjugis mortem castissima mulier, cujus dolores augebantur, quando ab accepto ferali nuncio duos post menses in foro acta est causa, & innocens evasit maritus. Sic vivebat mæstissima juvenis, dum post 40. dies ab acta in foro causa circa duas noctis horas pulsabatur janua, quam famulus statim aperuit. In adventu sui domini excclamavit famulus, & vox ejus jam audita est in tota domo. Admiratio magna, amor, & summa lætitia gentes sedentes commovit, & amitissimo viro suo oc-

ſus, in aere elaſtico, & mineralibus effluviis referto incolatus diuturnus, atque hujuſmodi alia circuitum humorum augentia hæmorrhagiam arceſſere poſſunt. Medicamentum emmenagogum, venenum ſanguinem exagitans, & admodum commovens, febris (s) circulatio-

---

occurrebat ſtatim caſtiſſima conjux, atque inter amplexus mutuos, fletuſque ne verbum quidem ab ipſis dicebatur. Tandem præ ſumma lætitia ſyncope corripiebatur juvenis, ſicque ſenſibus deſtituta ad lectum perducta eſt. Adhibitis ſanguinis miſſione, & ſpirituoſis tandem reviviſcit, ſed cæpit ſanguinem e pudendis educere, qui tanta fluxit copia per duos integros dies, ut ſine dubio duodecim librarum pondus excederet. Vix e morte evaſit pulchra juvenis ope remediorum ad id opus opportunorum, licet per plures menſes poſtea debilis, & pallida eſſet.

(s) Meminiſſe eorum oportet adoleſcentes, quæ in nota §. *6.* diximus, quibus apparet aliquando febrim ſiſtere, aliquando augere menſtruationem. Hoc pendet a diverſo febris charactere uterum diverſe afficiente, quo nunc conſtringuntur, nunc aperiuntur ejus vaſa, & nunc debili modo, nunc concitatiori actione per febrim ſanguis uterum petit. Id quotidianis experimentis in praxi innoteſcit.

tionem augere valens, & id genus alia hoc ipſum parere poſſunt. Quod autem ſpectat ad ſanguinis auctam fluiditatem uterinæ hæmorrhagiæ cauſam conſtituentem jam vobis innoteſcere ex phyſiologicis debet, adoleſcentes, vaſorum exhalantium diametrum globulis ſanguinis admittendis parem non eſſe, & niſi augeatur impellens ſanguinis vis, aut imminuatur naturalis vaſorum reſiſtentia, numquam exire ſanguis poteſt. Verum mutua globulorum ſanguinis cohæſio ita ſolui poteſt, ut facili modo ingredi vel ipſa vaſa capillaria poſſint. In febribus putridis, in quibus ſanguis ſolutus eſt frequenter lividæ maculæ in cute apparent, quæ fiunt ab ſanguine capillaria cutis vaſcula ingrediente. In phthiſicis lividæ cutis maculæ apparentes ex eo, quia ſummam humorum diſſolutionem indicant proximam mortem prænunciant. Quando itaque ſcorbutica labe, aut alio id genus vitio laborat ſanguis frequenter hæmorrhagia uteri in mulieribus conſtituitur. Uteri ſtillicidum potius, quam hæmorrhagiam parere ſcorbuticam ſanguinis labem ut plurimum

D in

in praxi vidi. Sic vos obſervantes mulierem cibis quantitate & qualitate vitiatis indulgentem, ſalſuginoſorum humorum, vel alius exanthematici veneni retropultionem habentem, ſanguinemque hoc vel illo venenato miaſmate, veluti purulento &c. ducentem, & ſtillicidium ſanguinis ab utero gerere, ipſam ſcorbutica humorum labe infectam eſſe tuto adſerere poteſtis.

Quibus ſignis uterina hæmorrhagia dignoſcitur.

§. 15. Signa, quibus uteri hæmorrhagia dignoſcitur petuntur ex ipſa ſanguinis educti viſa quantitate. Verum, ut nuper monuimus, non tutum eſt indicium hæmorrhagiæ in ſanguinis effuſi quantitate multa; nam dantur mulieres ſanguineo præditæ temperamento, quæ ſine ſanitatis noxa multam quolibet menſe quantitatem ſanguinis ab utero educunt. Indicium certum eſt in ſanitatis offenſa, & virium debilitate, quæ hæmorrhagiam ſequitur. Re quidem vera poſtquam mulier multam ſanguinis quantitatem amiſerit pallida evadit, & debilis, & in lipothimiam facile incidit, appetitus ciborum & digeſtio hebetatur, alvus eſt tarda, multa eſt ad motum iner-

inertia. Hæc ſymptomata quo in dies augetur hæmorrhagia creſcunt, uſque dum tumidula cutis apparet, & pedes oedemate corripiuntur, tandemque leucophlegmatiam excipit mors. Horum ſymptomatum ratio patet ex eo, quod ſolida ob ſummam jacturam ſanguinis ſuas in vacuum perdunt oſcillationes, ideoque fluida & pigro curſu feruntur, & non condenſantur, ideſt in bonam ſanguinis conditionem non mutantur. Scatet itaque totum vaſorum ſyſtema ſero & lympha, unde pallidus cutis color ob defectum ſanguinis cutanea vaſa non petentis, & ob vitiatam ſecretionum conditionem, obque ſucci gaſtrici, humorumque chylificationi inſervientium defectum appetitus & ciborum digeſtio habetatur; nec non ſilet alvus ob bilis inertiam. Lipothimia fit ex languido cordis motu propter deficientem in ipſum ſanguinis & fluidi nervei influxum. Et creſcentem in dies humorum lentorem leucophlegmatia, indeque mors ſequi poteſt. Pro apta morbi curatione ſedulo attendendum eſt ad cauſas ipſum facientes. Et primo videndum, an in utero, an in

Uterinæ Hæmorrhagiæ curatio.

D 2 ſan-

ſanguine ipſa hemorrhagiæ cauſa ſit. Et ſane quando morbus ab atonia vaſorum uteri producitur ſequentia adhibere debetis remedia. Semper bonum præ primis erit corporis, animique quietem ac ſilentium imperare, & revellentibus procurare, ut, quo fieri poſſit, minor quantitas ſangunis ad uterum deferatur. Sic ægra dum fluit ab utero ubertim ſanguis in lecto debet horozontalem ſui corporis ſtatum ſervare, vel omnibus animi pathematibus, domeſticiſque curis valedicere. Mihi in uſu eſt jacenti in lecto mulieri uteri hæmorrhagiam laboranti imperare, ut pluribus in die vicibus manilu-via adhibeat, & ſemel iterumque ad ſanguinem revellendum in manibus factam phlebotomiam ſubſtineat. Nec inutile aliquando fuit ſupra mammas admovere cucurbitas ventoſas juxta Hippocratis præceptum. Hæc auxiliorum genera eo magis conveniunt, quo per auctum circulatorium humorum motum hæmorrhagia eſt facta.

§. 16. Alvus lubrica eſt ſervanda ne duris fæcibus expellendis auctior diaphragmatis, & muſculorum abdominalium

Id ipſum ſequitur.

lium compreſſio hæmorrhagiam augeat. Id clyſteribus emollientibus ſemel in die adhibitis obtinebitur. Bibat ægra aquam frigidiſſimam, quam per ſiphonem eo in caſu tantum in uterum immittere poteſt, in quo per ſummam ſanguinis effuſionem vicina mors timetur. Nivem contritam cum aliquot guttis ſpiritus vitrioli dulcis copulatam pluries de die manducatam non levem adferre opem videbitis. Fluente adhuc ſanguine ſtricta eſt imperanda diæta, & ſi deficiunt vires hydrogalam nive frigefactam tantum concedere poteſtis. Opium fidenti animo propinare convenit, & laudani opiati granum unum, ulterumve in ſufficienti quantitate aquæ theriacalis ſolvi debet, cochleatimque exhibendum. Qui æthyopem vegetabilem præſcribunt ad grana decem quotidie ſumendum præſcripto felicius remedium non propinant. Lapidem hæmatitem, bolum armenam, terram ſigillatam, alumen, ſanguinem draconis, corticem granatorum, et balauſtorum, omneſque pulveres, atque decoctiones adſtringentes, quas nonnulli fidentius præſcribunt omnino vos con-

demnare debetis. His enim propinatis ut plurimum hæmorrhagiam augeri vidi. Verum sequens artificium sive in hæmorrhagia, sive in uteri stillicidio non parum profecisse pluries expertus sum. Sumatur linteum & fumo mastices ac chinchinæ nimis infectetur, sicque calidiusculum arctius ad vulvam adligetur. Post horæ spatium repeti debet panni suffumigium, ejusque ad vulvam adligatio. Hoc artificio pluries in die repetito sanguinis eductio aut cessat, aut imminuitur. Narrabat mihi muliercula, se hæmorrhagiam uterinam curare solere pannis lineis fumo lignorum infectis, atque arcte vulvæ adplicatis. Hoc remedium semper in uteri vasorum imbecillitate convenit. Nec vanum erit lumborum regioni adplicare emplastrum picis navalis, quod non semel votis cessisse vidimus. Quando cessat hæmorrhagiæ periodus, tunc prudenti manu remedia martialia propinari possunt ad procurandam quandam vasorum firmitudinem. Præ omnibus martis præparationius laudare solemus pulverem cachecticum Arnoldi ad scrupulum unum extracto chinchinæ exci-

excipiendum, vel ceruſſam martialem ad drachmam ſemis cum eodem extracto copulatam. Aquam gurgitelli vel piſciarelli ad libram ſemis in lacte aut vaccino aut caprillo quotidie ſumptam optimum remedium eſſe quotidiana praxis docet. Quando finitus eſt ſanguinis fluxus non debet debilis ægra lectum, quietemque corporis ulterius ſervare. Oportet eam pedeſtri itinere ſenſim ſenſimque facto leviter exercere. Poſt aliquot hoc modo inſtituti exercitii menſes mulieres quoddam corporis robur adipiſcuntur, & ſuæ hæmorrhagiæ ſummum habent levamen. Ad aperiendam tranſpirationem, corpuſque firmandum conveniunt frictiones leves univerſales & mane ac ſero inſtitutæ, ſed ſemper poſt ceſſatam hæmorrhagiam. Veneris exercitio valedicendum eſt. Et commoda victus ratio inſtituenda.

§. 17. Quando vero hæmorragia fit ab ſanguinis acrimonia, hæc corrigi debet opportunis remediis. Victus ratio in primis commoda inſtitui debet, ideoque fructus horæos, olera, atque id genus alios acidiuſculos cibos concedere *Id ipſum ſequitur.*

tantum poteſtis. Lac immo, ſi fieri poteſt, lactea diæta opportuna admodum eſt. Hac ſola vidi obſtinatiſſima uteri ſtillicidia curata. Serum lactis cum decoctione cochleariæ, radicis cichoræ, naſturtii, acetoſellæ, atque aliarum herbarum antiſcorbuticarum copulatum optimum eſt. Ptiſanam, aut aquam antivenercam paratam ex ſarſa parilla, cortice ligni ſancti, & china molli magnum afferre emolumentum ſæpe vidi. Quod ſi cum acrimonia ſanguinis copulatur uteri vaſorum atonia, tunc aut aquam gurgitelli, aut piſciarelli ad libram ſemis cum lacte conjunctam, & ad duos treſve menſes exhibitam feliciter operari videbitis. Defectum harum thermalium aquarum ſupplere poteſt aqua dulcis, in qua pluries ignitum ſit extinctum ferrum, aut calcis vivæ aqua rite parata. Aut una, aut altera eligenda ſit aqua ſemper cum lacte eſt conjungenda. Sive quod hujuſmodi aquæ ſanguinem ſalibus vitioſis onuſtum depurare, ſive quod vires digeſtrices, ut inde commoda evadat alimentorum aſſimilatio acuere, & erigere valeant, ſemper mulie-

lieribus ſtillicidio ſanguinis laborantibus propter vitioſam humorum indolem, & aliquam uteri debilitatem non parum emolumentum afferre ſolent. Qui ſirupum ſarſæ parillæ ad uncias duas quotidie in ſero lactis ſolutum propinant præſcriptis remediis non exhibent efficacius pharmacum. Tandem vulnus vulcuſque uteri opportunis remediis alibi (*t*) indicatis curare poteſtis. Hæmorrhagia abortum, vel partum excipiens quomodo ſit curanda infra audietis.

ARTICULUS III.

Chloroſis. Fluxus Muliebris.

§. 18. PAllidus ille virginum color cum adverſæ valitudinis non ſpernen- *Quid chloroſis.*

(t) Chirug. medic. P. II. Quando vulnus magnum utero inflictum eſt magnam hæmorrhagiam, convulſiones, febrim, deliria, inflammationem, gangrænam, & his ſimilia gravia accidentia ut plurimum excipit mors.

uendis ſymptomatibus copulatus dicitur *chloroſis*, & ut nonnullis placet *icterus albus*. Præcipuum hujus morbi ſymptoma eſt faciei, univerſæque cutis pallor, qui, creſcente morbo, commutatur in plumbeum & cereum colorem. Totius corporis inertia eſt magna, & ad levem motum, potiſſimum per acclivia loca inſtitutum labor eſt multus, atque reſpirationis anhelitus. In quietem, & ſomnum magna eſt propenſio, & die adveſperaſcente pedes levi oedemate obſidentur chloroticis. Menſtruatio aut penitus deficit, aut non certa periodo guttatim fluit atrociſſimis per abdomen vagantibus copulata doloribus. Et quæ parvæ apparent ſanguinis guttæ defædatiſimi ſunt coloris. Videntur indolem corrupti puris referre. Appetitus eſt depravatus, & ut plurimum pica corripiuntur ægræ. Lingua albo velo operitur, alvus eſt tarda, urinæ albæ aut lateritiæ excernuntur. Hypochondria inflantur. Quando morbus in dies augetur incipit quodammodo turgere cutis & pedes præcipue præmentis veſtigium retinent. Facies, & palpebræ poſt ſomnum

Quæ ſunt chloroſis ſymptomata.

num mane turgidæ apparent, febricula invadit vespertina. Et crescenti in dies morbo additur chachexia, ac hydrops, cujus finis ut plurimum est lethalis. Hæc omnia phænomena indicant morbum hærere in universali humorum lentore cum solidorum atonia cupulato. Hujusmodi lentor pendet ut plurimum a suppressa menstruatione plethoram in universo corpore inducente. Et quod mirum est faciei color in primis suppressæ menstruationis temporibus vividus, floridus, atque intense ruber est, inde sensim sensimque defædari incipit usque dum penitus aut plumbeus, aut cereus appareat (*u*).

Horum symptomatum redditur ratio.

§. 19.

(u) Quando vel optimo sanguine redundant vasa plus justo distendi & dilatari debent. Fibræ vasorum tuncicas componentes minorem habent suorum elementorum cohærentiam, ideoq. debilitantur. Debilitata sic vasa minori oscillant vi, ideoque fluida ob deperditam vim comprimentem non condensantur, & deficit, quæ intra vasa fieri debet, optima sanguificatio. En ratio cur bonus sanguis in serum

Chlorosæos causæ. §. 19. Nec deguamus posse aliquando chlorosim fieri ab multa sanguinis effusio-

---

rum tenax & viscidum abeat, ac pigro lentoque cursu feratur per corpus universum. Quando hic est status circulantium humorum quid mirum si omnia recensita phænomena inde prodeant. Color facile pallidus, plumbeus, & cereus pendet ab ingressu seri & lymphæ intra cutis vascula. Et quo hæc lympha est degener, eo color faciei est a naturali mutatus. Vulgatum enim inter medicos est adagium qualem in facie colorem, talem in corpore sanguinem esse. Et ab tanta humorum circulantium visciditate pendet magna corporis ad motum inertia. Nam, quo lente fertur ad caput sanguis, & quo tardior per angustissima cerebri vascula ducitur, eo minor fit fluidi nervei secrecio. Et quo humorum per cerebrum ductorum lentor est major eo crescit compressio visceris; ex quo pendet virginis chloroticæ & ad motum inertia, & ad somnum magna propensio. Vivacitatem, & promptitudinem motus, nec non reliquarum corporis functionum pendere a libera humorum circulatione, ac a multa fluidi nervei secretione, atq. prompta ejus intra musculos derivatione notum ex physiologicis est. Quo in dies crescit humorum visciditas, eo augetur

fione per uterum facta. Reliquum sanguinem post hæmorrhagiam intra vasa in

---

tur corporis inertia, & defectum muscularis actionis quotidie excipit auctior humorum lentor, unde ad cochexiam, leucophlegmatiamque sternitur facile via. Sic passim virgines suppressione menstruationis laborantes incidunt in chlorosim, a qua perseverante adhuc morbo, in confirmatam cachexiam, indeque in leucophlegmatiam incidere in praxi observamus. Nunc meæ committitur curationi nobilis virgo, quæ suppressione mensium diu laboravit, & spernens medicorum consilia primum chlorosim, inde cachexiam, demum leucophlegmatiam habuit. Nunc pro metu mortis adimplet exacte medica præcepta, & in meliorem statum quotidie commutatur. Omnimodam curationem brevi suscipere morbum opinor. Nil itaque mirum si languida vis vitæ tantam humorum molem substinere nequeat, quo efficitur, ut post unum, alterumque gressum labascat corpus quietem iterum accipere optans, & acclivia loca ascendens ægra anhelosam habet respirationem. Hoc pendet ab multo intra pulmones per motum muscularem collecto sanguine, quem debilis vitalis vis cito e dextero ad sinistrum cor traducere nequit,

in crassum facessere debere serum §. 20. dictum jam est. Ergo omnes caussæ, quæ

---

quit. Et si aliquæ sanguinis guttæ ab utero exeunt non nisi corrupti puris indolem referre debent. Veniunt enim e sanguine universali jam serosam & degenerem indolem nacto. Vitiosus humor uterum invadens debet necessario ejus nervos irritare, unde hanc eductionem paucarum guttarum comitari necessario debent atroces per abdomen vagantes dolores. Hæc, quam Sawagesius *menorrhagiam* vocat Nosol. T. V. p. 514. morbosa uteri humorum eductio ut plurimum commutari solet in album fluxum, a quo ulterius, ulteriusque debilitantur mulieres. Febricula chlorotitis accenditur advesperascente cum pulsu parvo & frequenti copulata ab insolito stimulo, quem cordi, & nervis faciunt vitiosi circulantes humores, qui stimulus augetur ab ingressu intra sanguinem novi chyli, advesperascente facto. Hanc febrim amatoriam vulgus sapienter vocat. Nec mirum est videre hujusmodi ægras consuetos aversari cibos, ac inusitatos victuiq. humano inconvenientes res uti carbones, calcem, lapides, &c. appetere. Id pendet ab mala & degeneri succorum intra ventriculum morantium qualitate. Sic urinæ lateritiæ excernuntur, utpote quæ veniunt ab impura sangui-

qnæ mensium suppressionem parere possunt, & chlorosim quoque arcessunt.
Sed

---

guinis massa. Nec gravi viscerum abdominalium, præsertim jecoris obstructione carent ægræ. Nam difficile est, persistente in corpore tanta humorum visciditate, jecur glandulis, & implicata vasorum serie compositum videre obstructione liberum. Et ex inerti bile, quæ secernitur ab obstructo jecore non irritantur intestina ad naturalem fæcum expulsionem faciendam, unde alvus tarda evadit. Et ex congesto intra primas vias inerti glutine pendet operculum illud album, quo lingua operitur. Inflantur hypocondria 1. *a ventriculi intumescentia flatu surgentis, aut indigestis cibis*, 2. *ab intestini colon turgescentia a retento aere circa ejusdem flexionem versus hypochondria*, 3. *a tumore abstructi hepatis, aut lienis*. 4. *a sympathica diaphragmatis contractione, quam ventriculo dolor excitaverat*. Verba sunt cl. Astrucii de morb. mulier. T. I. p. 76. Sic vitiatis secretionibus, excretionibusque, debilitatisq. digestionis, chylificationisque actionibus sanguis quotidie crudis crassisque particulis oneratur, augeturque sic circulationis inertia, & ob ulteriorem solidorum imbecillitatem labascunt vires, circulantes humores morantur & stagnant, unde hydrops, indeque mors timenda est.

Sed præ omnibus valet ſumma corporis quies, ac molle vitæ genus, in craſſo, & effæto aere longus incolatus, ciborum craſſorum, & difficilis digeſtionis abuſus, diuturna mæſtitia, morbus acutus, veneni præſertim gallici ſuſceptio, & his ſimilia. Harum cauſarum vim in producendo morbo, de quo ſermo eſt, vel parum vobis, meditantibus facile innoteſcere putamus. Eas facientes hæmorrhagiam cauſas art. præced. arceſſere hunc morbum poſſe dicere quoque debetis. Quando chloroſis facta eſt vetuſtior morbus evadit ex ratione, qua & enatæ obſtructiones in viſceribus imi ventris reſerari non facile poſſunt, & menſtruatio aut numquam viſa, aut ſuppreſſa ægre admodum arceſſitur. Recens morbus facile curatur, ſed facile quoque redit. Curatur chloroſis ſequenti modo. In primis eſt inſpiciendum, num graves abdominalium viſcerum obſtructiones morbum comitaverint, quæ ſi ſint, optimum erit ab repetitis aut ſingulis, aut alternis diebus propinatis emeticis bona curationis auſpicia ſumere. Poſt hæc, vigente ſolidorum imbecilli-

Chloroſis curatio.

ta-

tate, & fluidorum inertia fas erit martialia ſtatim exhibere cum gummis ſaponaceis copulata. Nobis in uſu eſt quotidie exhibere limaturam chalybis ad drachmam unam cum eadem doſi gummi ſagapeni copulatam. Hiſce pilulis addi poteſt infuſio ligni quaſſiæ pluries de die bibenda. Hoc remedii genus per ſeſquimenſem & ultra protractum obſtinatas chloroſes curaſſe experientia vidimus, ſed eas chloroſes, quæ a ſuppreſſa in virginibus fiunt menſtruatione. Hoc remedio corroborantur ſolida, ſolvuntur fluida, & promoventur menſes. Sic laudant datas ferri præparationes, ut ceruſſam martialem, dulcedinem martis, antimonium martiale &c. cum extracto cicutæ conjunctum. Quando cum humorum lentore quædam acrimonia copulatur antimonium martiale omnibus præparationibus præferendum eſt, quemadmodum nos multiplici experientia didicimus. Superiori anno curabamus diuturna abdominalium viſcerum obſtructione factam chloroticam virginem antimonio martiali, & extracto cicutæ. Annuente tempeſtate ther-

malium aquarum uſus concedendus eſt. Et æſtivo tempore balineis frigidis per immerſionem inſtitutis haud parcendum eſt. Aquæ maris balnea ſummopere profeciſſe non ſemel vidi. Ceterum optima chloroſis cura obtinetur recta nonnaturalium rerum adminiſtratione. Cibus facilis digeſtionis eligendus eſt, nec careat aromatibus, & virtute ciendi urinas. Bonum erit in juribus vitulinæ carnis ebullire apium, petroſelinum, naſturtium, daucum, & his ſimilia vegetabilia, quæ eo magis conveniunt, quo leucophlegmatia incæperit. Et in incipiente hydrope optimum erit cum martialibus modo memoratis copulare pulverem aut ſcillæ præparatæ, aut aſelliorum. Hoc in caſu aquam maris ad libram ſemis quotidie epotam egregium remedium eſſe obſervabitis. Motus inſtituendus eſt modo pedeſtri itinere, modo equitatione, modo rheda, vel carpento factus. Mane & ſero frictiones pannis aſperis per totum corpus, & potiſſimum per abdomen factæ celebrandæ ſunt. Aeris elaſticioris, ac mineralibus effluviis referti ſtatim ſeligendus, in quo ægra diutur-

turnum incolatum ducat oportet. Ab animi pathematibus, & præſertim mæſtitia, curiſque domeſticis abhorreat, nec non cum ſociis puellis lætam vitam ducat, & ſi fieri poteſt matrimonium ineat, veneriſque uſum inſtituat chlorotica virgo. Tarda alvus ſubducentibus eſt proritanda clyſteribus, & ſomno parum indulgendum eſt. Caveat ægra tandem a nimia ſordidorum ciborum cupidine. Sic curare debetis virginem per ſuppreſſionem menſium factam chloroticam. Virgini vero chloroſim habenti per hemorrhagiam uteri medicamenta exhibete, quæ articulo præcedenti annotata ſunt.

§. 19. Fluxus muliebris alias dictus *fluxus albus* eſt pertinax, & tæditioſa albi humoris per uterum excretio. Aliquando hic umor eſt flavus, viridis, aut puriſimilis. Et mulieres huic morbo obnoxiæ debiles evadunt, præſertim ſi copioſus eſt fluxus; decolores fiunt, & dyſorexiam, bradipepſiam, dyſpepſiamque patiuntur. Perſiſtente adhuc morbo in chloroſim, cachexiamque incidunt. Nec caro lenta corripiuntur fe- *Quid eſt fluxus albus.*

E 2 bri,

Fluxum album comitantia quædam symptomata.

bri, & steriles evadunt ut plurimum mulieres, & si concipiunt debiles, languidos ac immaturos edunt fœtus (*x*). Quando humor ab uteri fundo fluit ut plurimum albus est, & inodorus, nec multum lineos pannos inficit. Macula itaque nec admodum profunda est, nec admodum durabilis. At non raro educitur viridis, aut flavus, & male olens humor, qui aut pus, aut purisimilis esse

(x) Hæc phænomenorum ratio vel parum meditantibus facile innotescit. Nam ex multo educto humore etiam lymphatico deficit apta fluidorum quantitas irritandis solidis opportuna, quæ idcirco imbecillas edunt oscillationes. Ex quo accidit, ut nec bona sanguinis assimilatio fit, nec debita ejusdem sanguinis quantitas ad cerebrum pro convenienti fluidi nervei quantitate secreganda fertur. Unde oritur mulieris imbecillitas, & cachexia. Ex debilitata circulatione sanguinis indeq: facta parva fluidi nervei secretione parva quoque humoris salivalis, & gastrici secretio fit, unde dysorexiæ, dyspepsiæ, bradipepsiæque causa. Et crudo degenerique semper chylo sanguis repletus aptus tunc fit nervis, cordiq. molestam parere irritationem, unde continua fe-

esse videtur. Interim ulcus in utero non persistit, a quo degeneris & vitiosi humoris scaturiginem fieri dicendum est. Hujus morbi sedes est in uteri exhalantibus vasis plus justo debilitatis. Quod an verum sit patet ex sequentibus. Uteri, & vaginæ cavum tenui vapore madefieri naturale est. Hujus madoris fontes sunt ora vasorum exhalantium, a quibus nonnisi tenuissimus ros exit faciendæ lubricitati internæ superficiei uteri & vaginæ opportunus. Quando urgentur a sanguine, & admodum dilatantur, tunc admittunt globulos sangui-

Quæ est fluoris albi causa.

---

febris accendi potest. Et tantum humorum circulantium viscorem excipere quoque solet profunda abdominalium viscerum obstructio, a qua pejora mala timenda esse unusquisque vestrum videre potest. Tandem degeneribus persistentibus undique humoribus nil mirum si impura fœdissimaq: fit perennis uteri excretio, atque ob debilitatam generationi inservientium partium conditionem steriles fiunt mulieres. Et si aliquando conceperint fœtus ob alimenti defectum ad perfectam non perveniunt maturitatem. Cetera symptomata muliebre fluxum comitantia & vos ipsa praxis docebit.

guineos, qui trans eorum cavum ducti veniunt intra uterum & vaginam dato in tempore menstruationem facturi (§. 3.). Post eductam peculiarem plethoram, & post cessatam vim urgentem vasa hæc exhalantia propria contractione iterum ad naturalem diametrum redeunt. Quando sunt debilitata non possunt pervenire ad talem diametri angustiam, qualis naturalis uteri status requirit, sicque admittunt fluidorum particulas crassiores, & lympham, ac serum copiosius emittunt, & ita constituitur morbus, de qno nunc sermo est.

Morbi causa alia statuitur. §. 20. Nec denegamus posse fluxum muliebrem quoque fieri a peculiari vasorum lymphaticorum uteri defectu. Nam sive quod lympha moram in propria vasa nectens ob quoddam anterius positum impedimentum, sive quod propria viscidìtate infarciens vasa ulteriorem progressum habere nequit, tunc accidit, ut sensim sensimque distendat tunicas, & sibi foras per extrema eorum vasorum oscula exitum faciat. Hæc lympha & mora, & loci calore in degenerem indolem commutatur, sicque modo

do viridis, modo fuſca, modo flava, modo alio prædita colore, ſed ſemper acris & corroſiva excernitur. Hic eſt ille uteri morboſus affectus, quem auctores (y) dicunt *catarrhum*, *vel rheumatiſmum uteri*. Quando exit hujuſmodi acris lympha vulvæ labia per frequentem tranſitum irritantis materiæ tument calefacta, & non raro ab urinæ contactu ardor excitatur. Hoc præbet aliquando ſuſpicionem de contracta venerea gonorrhoea (z). Nec raro obſerva-

(y) Galenus, Arethæus, Muſgrave, Sydenhamius, Savvages, Boerhavius, Swietenus aliique clariſſimi viri.

(z) Mulieres fluxu albo laborantes modo excernunt aqueum & ſeroſum humorem nec colaratum, nec odoroſum, modo excernunt acrem, viridem, flavam, fuſcam, ac veluti purulentam fœtidam materiam. Nec raro educunt lac, quod ut plurimum accidit puerperis, quæ ob lactationis ſive voluntarium, ſive arte procuratum defectum lactis eductionem per uterum patiuntur. Quando exit puriſimilis, & fætida materies, tunc ſubeſt metus aut ulceris, aut gonorrhoeæ ſuſceptæ. (Go-

vatur acrem hujuſmodi lympham ipſa vaſa uteri corrodere, & lacerare, & ex veluti facto ulcere tunc exit pus fætidum, a cujus frequenti eductione per vulnus, & per vaſa inhalantia intra ſanguinem immiſſione lenta febris accendi, indeque macies, & mors advenire

Gonorrhoea affectis accidere copioſam viridis, flavæ, ac fuſcæ ſubſtantiæ per pudenda eductionem notum omnibus eſt). Verum quibus ſignis ſit ſtatuendum mulierem ſimplici fluxu albo, vel ulcere uteri, ac vaginæ, vel gonorrhoea affectam eſſe? Non certis rem definitam eſſe obſervationibus fateamur oportet. Nam ſive ocularis partis inſpectio interveniat, ſive ad differentiam ſymptomatum utroſque morbos comitantium attendatur, certa rei veritas non elucet. Nam, inſpectis pudendis, ſi obſervatur aut ex vaginæ oſtio, aut ex glandulis Covuperianis, aut ex Graafii lacunis (In his locis ponit Aſtrucius Gonorrhoeæ ſedem) ſtillare ichor, aut pus, id ſane confundi poteſt cum veteri fluxu albo, cum e fundo uteri & vaginæ guttatim profluunt vitioſi humores, & indicatæ ſedes humectantur, non facile diſtingui poteſt uterque morbus. Si vero dicas cum gonorrhoea copulari dyſuriam, & flu-

re poteſt. Hujuſmodi affectum uterus ut plurimum concipit ex generali humorum vitio. Vidimus enim frequenter in praxi mulieres, quibus accidit exanthematici, ſcorbutici, rheumatici, aliorumque id generis vitioſorum humorum intra ſanguinem immiſſio, & nulla depu-

---

fluxum humoris viridis petias indelebili macula fœdaturi, quod ſane abeſt a fluxu albo, in quo nec ardor urinæ eſt, nec maculæ petiarum ſunt indelebiles etiam a veritate alienum aliquid adferitur. Nam ſi gonorrhoea eſt vetuſta, ita ut nec viridis humor excernatur, nec ardor urinæ percentiatur, (quemadmodum obſervare poteſtis in veteri gonorrhoea affectis, in quibus nonniſi parvæ guttæ albi humoris ſtillant e pudendis, & nullus ardor urinæ percipitur) dicite, quæſo, quomodo hic affectus a veteri fluxu albo diſtinguere poteſtis? In hoc morbo etiam humores flavi, vel virides exeunt indelebili macula petias fædaturi. Et ut nuper admonuimus pundenda, & præſertim labia vulvæ ex frequenti tranſitu materiei irritantis, & degeneris rubere, tumere, & veluti inflammari poſſunt. Dum per hæc loca urina tranſit ardorem ſummum excitat, & tunc mulieres nulla contagioſa laborant gonorrhoea. Recordor virginis an-

puratio, hoc uteri ſive catarrho, ſive rheumatiſmo laborare. Nec a veritate aliena eſt vulgaris practicorum ſententia, qua docetur ex ventriculi debilitate mulieris fluxum fomitem & incrementum retinere. Nam quemadmodum ex mala ciborum digeſtione derivat mala chy-

---

annorum quatuordecim nondum menſtruationem paſſæ, quæ viridis, & veluti corroſivæ materiæ quotidie e pudendis magnam copiam educebat. Hæc ſummum ardorem in mingenda urina habebat. Quando meum conſilium petiit a morbo vexabatur menſis ſpatio. Niſi omnis contagii venerei ſuſpicio abfuiſſet, profecto dicere debuiſſemus adoleſcentulam virulanta gonorrhoea eſſe affectam. Remedia adhibui ad uteri catarrhum curandum, & poſt duos menſes integre virgo convaluit. Neque minus falluntur ii, qui cum Joanne Fernelio *pathol. lib. VI. c. 16.*, Ludovico Mercato *de affect. Mulier. lib. 1. c. 15.* cum Iacobo Primeroſio *de morb. mulier.*, cum Franciſco Mauriceau *malat. de femmes groſſes traitte anatomique des partes des femmes qui ſervent a la generation. c. 6. cum* Georgio Baglivo *prax. lib. 2. cap. 8.* aliiſq. permultis clariſſimis auctoribus adſerunt fluxum muliebrem a gonorrhoea diſtingui hoc

chylificatio, ita ex mala chylificatione non bona fit in indolem inquilinorum humorum particularum chyli assimilatio. Redundat impuritatibus sanguis, sicque per debiliorem partem, nempe per uterum male affectum eductio vitiosarum particularum fit.

§. 21.

---

hoc solo signo, si nempe interrogetur mulier an perseveret fluxus albus durante menstruatione? Si adserat affirmative, tunc gonorrhoea laborat mulier. Si adfirmat, fluente menstruatione, album fluxum evanescere rediturum post finitam menstruationem, tunc albo fluxu mulierem laborare dicendum. Hi talia proferentes absque dubio, inquam, falluntur. Nam dum fluit sanguis menstruus & gonorrhoeæ, & fluoris albi humor rubet, nec umquam distingui potest uterque affectus dum cessata menstruatione iterum redit aut fluxus gonorrhoicus, aut fluxus muliebris. Quando mulieris confessio adest, se ante initium fluxus purulenti nullo uteri morbo laborare, interim suspicionem contagii venerei adesse, tunc de gonorrhoeæ præsentia nullum adesse dubium credimus. Et si hæc deficiunt signa, tunc morbus curandus est iis remediis, quæ dum uni prosunt, alteri non nocent morbo.

Fluxus albi curatio indicatur. §. 21. Morbi curationem in hunc modum oportet instituere. Repetitis emeticis ex ipecacuanha paratis fas est ventriculum, primasque vias inerti obductas materia ante omnia excutere. Deinde salia incisiva, & corroborantia præscribere oportet. Sal absynthii, aut archanum duplicatum cum extracto gentianæ copulatum in usu esse potest. Quando adest magna vasorum uteri atonia martialium usus laudandus est. Celebratissimus est pulvis cachecticus Arnoldi ad drachmam semis, qui cum extracto ligni sancti conjugi potest. Diuturno hoc remedii usu morbus, aut penitus curatur, aut in meliorem statum redigitur. Quando memorata vasorum uteri atonia cum quadam sanguinis acrimonia copulatur vidi maximopere profecisse aquam balsamicam Lemery ad dracmas duas quotidie in larga decoctione ligni guajaci propinatam. Et nostrates medici summo cum fructu in lacte vaccino ponunt aut aquam pisciarelli, aut aquam gurgitelli ad libram semis, & quotidie propinant. Et nos hujus remedii per sesquimensem & ultra protra-

tracti utilitatem nuper in pulcherrimam virginem fluxu albo laborantem experti sumus. Quando adest summa humorum acrimonia laudari debet aut lactis cum aqua sarsæ parillæ copulati, aut antiscorbuticarum herbarum, veluti cichorææ, nasturtii, cochleariæ, acetosellæ, beccabuncæ, & his similium plantarum, ac seri lactis depuratissimi usus. Superioribus mensibus vidi viduam annorum triginta ab acrimonia humorum veniente albo fluxu vexatam decoctione dulcamaræ, sirupo sarsæ parillæ, & lacte vaccino, (quod in formam cænæ sero accipiebatur), integre curatam. Balineorum frigidiusculorum, potissimum annuente tempestate, usus maxime profiguus est. Et levia diaphoretica præscripsisse numquam me pænituit. Aeris humidi, & crassi in elasticum, & siccum mutatio facienda est. Motus aut equitatione, aut pedestri itinere moderatus instituendus est. Cibus optimus, & facilis digestionis comedendus. Et ab veneris exercitio, quantum fieri potest, se debet ægra abstinere. Si adest aut gonorrhoea, aut vulcus in pudendis,

quod

quod ex notis signis innotescere potest, cura alibi indicanda mulier medicari debet.

ARTICULUS IV.

Affectio Hysterica.

Hystericæ passionis character adumbratur.

§. 22. MIrabilis illa varia, & proteiformis affectio, quæ sola infinitis pene dicam morbosis accidentibus obnoxias facit mulieres dicitur *passio hysterica*, quia in utero morbi sedem hærere vulgo creditur. Describere haud rite possumus affectionem tam variis, tamque multiformibus ludentem phasibus institutionum restrictæ mothodi inserviturі. Rem itaque tantum adumbrabimus. Morbus corripit ut plurimum mulieres opipare viventes, & per varia in animo recepta pathemata, perque mollitiem vitam traducentes. Nec raro accidit videre vel ex plebe mulierculam eodem morbo correptam. Hujusmodi feminæ facile mutantur, & ab uno in alium statum continuo transeunt. Nunc rident & in cachinnis profunduntur, nunc

nunc abſque cauſa manifeſta plorant, & in luctuoſum fletum ruunt. Levibus ab cauſis admodum commoventur, nec rationem tantæ commotionis agnoſcunt. Ex levi vento agitantur, & ex parvo audito ſtrepitu contremiſcunt. Timent mortem, nec conceptum abſque cauſa mortis timorem facile deponunt, licet evidentibus rationibus demoſtretur non eſſe timendum. Nunc calorem, nunc frigus ſentiunt, licet harum affectionum non adſint evidentes cauſæ. Morbus per paroxyſma adfligit, & quando invadit ſtupendis ſymptomatibus ludit. Nulla eſt pars, nullum corporis mulieris organum, quod ſuam non patitur affectionem. Nunc dolet caput, & ad inſtar clavi infixi dolor excruciat, nunc vertigines, & aurium tinnitus ſentiuntur, nunc ſuffocationes modo ad inſtar globi in faucibus hærentis, modo ad inſtar laquei circa collum ducti habentur a mulieribus. Tuſſiunt pertinaciter hyſtericæ, & hac convulſiva tuſſi haud raro ad vomitum concitantur, neque, niſi parum lymphæ, e pectore educitur. Pectus frequenter dolet, & dolor eſt ad inſtar ſtyli ferientis

Quibus ſymptomatibus hyſterismus ludit.

tis carnes. Quando cum acuta febri copulatur hic dolor pleuritidem æmulatur. Morbus aliquando ſub ſpecie modo cardialgiæ, modo colicæ, modo iliacæ paſſionis ludit, & cum his accidentibus vomitus æruginoſæ materiæ copulatur. Conjux mea eſt hyſteriſmi verum exemplum, (cujus cauſa ſterilitatem ab ipſa pati inter 15. matrimonii annos puto) & frequenter ab hiſce doloribus hyſtericis cum pertinaci vomitu veluti atrabilaris materiæ, & cum ſumma reſpirationis difficultate copulatis corripitur, a quo ad mortis limen perducitur. Nunc tument hypochondria, nunc murmura magna per abdomen vagantur, nunc ſilet alvus, nunc urinæ aqueæ ubertim emittuntur, nunc in hepate, nunc in liene, nunc in meſenterio figitur dolor, qui ab uno in alium locum tranſiens nullam abdominis partem immunem relinquit. Hic dolor hinc inde vagus modo in unam, modo in aliam partem pertinaciter figitur. Vidi haud raro hyſtericas queri de ſpaſmo doloroſo pollicem corripiente. In ingreſſu hyſterici paroxyſmi ejulatus emittunt mulieres, & ab imo pectore ſu-

ſuſpiria ducunt. Aliquando penitus internos, externoſque ſenſus amittunt, aliquando advertunt omnia, quæ in paroxyſmo fiunt. Contremiſcunt undique, & membra hinc inde vehementi, irrequieto, & ſemper tremulo motu agitant. Et corpus univerſum tanto extraordinario impetu agitatur, & hinc inde e lectulo proſilire contendit, ut vix duos robuſtos viros continere valere delicatulam mulierem pluries viderim. Aliquando per riſum, aliquando per fletum ſupervenientem ſolvitur paroxyſmus. Nec raro hiſce apparentibus redit paroxyſmi pertinacior acceſſus. Aliquando nulla in corpore motio obſervatur, & ſenſibus deſtituta ita immobilis evadit hyſterica, ut niſi adeſſet cordis & reſpirationis motus appareret mortua. Nec deficiunt caſus, in quibus vel ipſi cordis, & reſpirationis motus penitus extincti appareant, & *hyſterica præfocatione* (*a*) correpta mulier tamquam

 mor-

(a) Hyſtericæ præfocationis exempla in praxi frequenter occurrunt. Nam conſtrictis ultra de-

mortua habita humi ſit commiſſa. Vigente paroxyſmo, pertinaci tuſſi, cordis magna palpitatione, & vagis per totum corpus diſperſis doloribus vexantur hyſtericæ, & ſpumam ab ore quoque educunt.

Sequitur ipſius morbi character indicandus. §. 23. Dies me deficeret ſi omnia hyſtericæ paſſionis phænomena recenſere vellem. Soluto paroxyſmo languidæ & un-

---

debitum per ſympathicam affectionem cordis nervis, ejus motus ita ſuffocatur, ut, vel adhibita ſumma diligentia, obſervari non poſſit. In hoc ſtatu ob defectum ſanguinis circulationis accidit, ut decolora, frigida, exanimis appareat mulier, & tamquam mortua ad ſepulchrum conducatur. Hinc merito leges ſanxiverunt non poſſe mulieres repentina morte correptas niſi poſt horas 48. humi committi. Plurimi enim dati ſunt caſus commiſſarum ſepulchro mulierum iterum ad vitam reductarum. Aſtrucius, qui de hoc morbo diſerte ſcribit, hyſtericam affectionem per ſtadia, ſive tempora invadere ait. Præfocationem uterinam raram & quarti ſtadii eſſe affirmat, dum per tria reliqua tempora morbus ludit ſymptomatum nuper memoratorum varia combinatione. Conſul. laud. Auctor. T. I. de morb. mulier. Cap. XIII. p. 277.

& undique laxatæ ſunt mulieres, licet ad conſueta vitæ munia haud remiſſa alacritate redeunt. Quando ab utero ſurgit hic proteiformis morbus ut plurimum manifeſtæ occurrunt cauſæ. Nam aut menſtruationis perturbatus eſt ordo, aut uterinæ lymphæ fluxus eſt vitiatus. Feminæ hyſteriſmo ſubjectæ aut imminutionem, aut ſuppreſſionem menſtruationis habent. Et viduis ob defectum fluxus uterinæ lymphæ veneris uſu ſemper educendæ fit moleſtior hyſteria. Hæc lympha a veteribus pro ſemine ab ovariis educto accipiebatur, quod retentum ſicuti alios morbos, ita & hyſteriam parere aptum eſſe adſerebant (*b*). Nos quemadmodum haud cum ipſis veteribus adſerimus eandem lympham eſſe ſemen ab ovariis defluens, tamen reponimus maximum hyſtericæ paſſionis fomitem & cauſam hujuſmodi lympham retentam acrem, & vitioſam factam conſtituere. Mulieribus, quibus titilla-

 tio

(b) Vid. Gal. de loc. affect. lib. X. c. 12.

tio venerea admodum est molesta, quæque per necessitatem servant castitatem, molestior est hysterica passio. Hæ ut plurimum furore corripiuntur uterino (*c*). Novi virginem monialem huic morbo subjectam, quæ dum corripiebatur a paroxysmo hysterico se undique denudabat, & obscæna verba tam tur-

(c) Uterinum furorem patiuntur mulieres a caufis quibuscumque proritantibus clytoridem, & ceteræ venereæ voluptati addictæ partes. Nec raro accidit, ut ad delirii speciem morbus accedat, quem dicunt *nymphomaniam*. In hoc delirii genere licet ament quoddam objectum mulieres amore vehementi, attamen in venerem furibundæ ruunt. Et postquam per totam diem cum venere litaverint laxæ, ac veluti lipothimia correptæ ab opere discedunt, sed non penitus satisfactæ. Hujusmodi mulieres licet optimum sui morbi remedium experiuntur in matrimonio, quod cum robusto, & mendulato viro inire debent, tamen a diluentibus remediis, balineis frigidiusculis vel in medio hyemis præscriptis, atque id genus aliis humorum acrimoniam temperantibus non levem opem expectare possunt.

turpia proferebat, ut ceteræ moniales, quæ ad ægræ convulſiones accurrebant, horruerint, & fugam inire coactæ ſint. Hinc merito Aſtrucius in laudato loco aſſerit uterum duplici modo affici debere, ut hyſteriam faciat. Altero, quando irritatur ab humoribus quibuſcumque vitioſis, & degeneribus; altero, quando organi vaſa turgent præ nimio ſanguine. In hoc poſtremo caſu cum menſtruationis periodis morbus ludere ſolet (*d*). Licet non negamus etiam ſanguinem menſtruum acrem, & irritantem factum poſſe morbum auctiorem, & ſæviorem reddere. Conjux mea diros hyſteriſmi paroxyſmos habet imminente, aut fluente menſtruatione, qua educitur pauca vitioſi, & degeneris ſanguinis quantitas. Nec a veritate admodum alienum eſt adſerere acrem, & irritantem humorem, modo unam, modo alteram uteri partem afficere, nunc uno, nunc alio modo proritare & laceſ-

F 3

(d) Vid. loc. cit. p. 280.

cessere, atque alias minori, alias majori impetu nervos visceris afficere &c. varietatem affectionis parere. En ratio cur non uno modo unica mulier a morbo semper vexetur, curque pene omnium hystericarum symptomata inter se discrepent.

Et in causam hystericæ passionis proximam inquiritur.

§. 24. Nos vero quemadmodum cum cordatioribus practicis adserimus uterum male affectum hystericæ passioni causam, & fomitem sugerere, attamen non negamus huic morbo pariendo requiri summam systematis nervosi imbecillitatem, sensibilitatemque, ac spirituum nervorum constantem ataxiam, quemadmodum Cl. Sydenhamius adfirmat (*e*). Hu-

---

(e) *In diss. epistol. de hysterica affectione*. Hujus veritatis fundamentum sequenti innititur ratiocinio. Ex fideli symptomatum tum præcedentium, cum comitantium paroxysmum hystericum observatione aperte elucet, nullam adesse corporis partem, quæ morbi tyrannidem non experitur. Universalis morbus convulsivus causam proximam habet iis in partibus, quæ undique per universum corpus ferun-

Hujus morbosæ conditionis nervorum status ab quacumque, sive intrinseca, sive
F 4 extrin-

---

runtur. Duæ sunt hujusmodi partes, aut vasa sanguinem ducentia, aut nervi fluidum nerveum ferentes. Cum autem hystericæ convulsiones ad musculorum motum depravatum pertineant, cumque nos non sanguinem, sed fluidum nerveum motus muscularis causam esse in physiologia fusius ostenderimus, patet hysterismi causam proximam esse mollitiem, & sensibilitatem summam nervorum, summamque spirituum ataxiam. Hoc in veluti morboso statu constituti nervi facile levibus ex causis mutantur, perturbantur, atque irregulari influxu spiritus nervosi musculos convulsiones facturi adoriuntur. Nec a laudabili conjectura admodum alienum est adserere quandam in cerebro hærere mutationem, perturbationemque, qua morbi, de quo sermo est, causa proegumena constituitur, & character hystericus veluti imprimitur, & subsiinetur. Et quemadmodum epilepsia, vigente hujusmodi charactere in cerebro, numquam curatur, & datis vel levibus ex causis sopita reviviscit, ita passio hysterica per paraxysmos adfligens numquam, nisi, deleto hoc charactere, curatur, & levibus ex causis temperata recrudescit. Sic intelligitur cur mulieres hystericæ instantaneas in corpore mutationes habeant,
cur

extrinſeca cauſa ad actum incitatur fitque hyſtericus paroxyſmus. Uteri labes ut

---

cur ex levi caloris, frigoris, odoriſque actione admodum perturbentur, cur inſtabiles ſint, cur ex animi pathematibus admodum afficiantur, curque in paroxyſmo tantas proteiformes miraſque ſubſtineant phaſes, quibus omnibus percipiendis explicandiſque non ſufficeret totius vitæ curſus. Neque dicatur hyſteriſmi proximam cauſam in utero hærere ex ratione, qua obſervatur, curato utero, morbum quoque curari; nam id veritati aperte opponitur. Vidi haud raro ſæviſſimo hyſteriſmo ſubjectis quaſdam mulieres & nullam in utero labem gerere. Non dolor viſcus occupabat, non menſtruationis neque in periodo, neque in ſanguinis conditione ulla perturbatio, & labes apparebat. Et licet aliquando per matrimonium conceperint, non fuerunt penitus liberatæ. Agit nunc vigeſimum ſeptimum annum nobilis juvenis, quæ quatuor filios toroſos, & optima præditos ſanitate peperit. Hæc ante matrimonium hyſterica erat, & poſt matrimonium, atque filiorum generationem hyſteriſmo laborat. Ludit morbus per riſum & chinnos, in quos tam vehementer per duos treſve dies integros profunditur, ut omnibus adſtantibus commiſerationem faciat. Et per paroxyſmos non certo anni tempore morbus adfligit. Per

ut plurimum morbum arceſſit. Quando enim lympha, aut ſanguis vitium tale conceperit, quale par eſt uteri nervis irritationem communicare, tunc per ſympathiam modo corpori toto, modo uni, modo alteri parti communicatur affectus, & hyſtericus paroxyſmus in ſcenam venit. Sic ciborum indigeſtiones, & eorum reliquiæ degeneres factæ pri-

Per hos continuos riſus enata eſt bronchoceles, quæ ſui vultus venuſtatem deformat. Hæc numquam uteri functionum læſionem habuit ullam. Ceterum ſana eſt, & multa pinguedine carnes operiente gaudet. Neque nos denegamus uterum ut plurimum hyſtericæ excitandæ cauſam eſſe. Nam quæcumque ſit illa uteri labes ſive in humorum vitiata qualitate ſive vitiata quantitate hærens, ſemper irritatis nervis viſceris per ſympathiam cunctis corporis partibus irritatio communicatur. Nervi enim uteri ſunt a magno intercoſtali, qui cum toto corpore conſenſum, & commercium habet. Verum ad excitandos hujuſmodi per totum corpus miras convulſiones requiritur in cerebro morboſus character, & in nervis ſumma debilitas, magnaque fluidi nervei ataxia. Quod ſive per artem, ſive per naturæ opus,

primarumque viarum ſordes etc. nervos irritare aptæ id ipſum pariunt. Sic medicamentum, potiſſimum catharticum irritans hyſtericas parit convulſiones. Sic frigus inſtantaneum, inſtantaneuſque calor, impedimentum perſpirationis, odores ſuave-olentes, atque id genus alia vel levia accidentia morbum advocant. Verum his omnibus efficiora ſunt animi pathemata, a quibus in ſæviſſimos hy-

---

opus, ſive per ſtatus mutationem, ſive per aliam quamcumque cauſam tollitur a cerebro hyſtericus character, & nervi roborantur, tunc hyſterica mulier integre curatur. Et quæ mulieres per matrimonium perque filiorum generationem aliquando curantur, hoc obtinent beneficium non tantum propter mutatam uteri conditionem, correctionemque lymphæ uterinæ, & menſtrui ſanguinis, ſed propter mutatam cerebri, & nervorum conditionem advenientem tum ab animi hilaritate, quæ cum veneris exercitio copulatur, tum ab auræ ſeminalis frequenti intra corpus immiſsione, qua cerebrum, nervoſque corroborari ſolere cunctis innoteſcit. Plura hac de re dicere vetat reſtricta inſtitutionum methodus.

hyſtericos inſultus mulieres incidere paſſim obſervamus. Timor, mæſtitia, pavor, commiſerationis idea, & his ſimilia mulieres atrociſſimis hyſtericis convulſionibus addicit. Et hyſterici acceſſus eo ſunt frequentiores, quo timor ſæpius, vel abſque cauſa, aliquando eas corripit. Neque inficiari poteſt non raro paroxyſmum ſæviorem advenire abſque ulla apparenti cauſa.

§. 25. Signa, quibus morbus hyſtericus cognoſcitur patent ex hactenus expoſitis. Unicum dubium, quod in exercenda praxi vos perturbare poteſt, eſt quando diſtinguere hyſteriſmum ab epilepſia debetis. Utrumque morbum pene æqualia comitantur ſymptomata. Nos credimus rem ita abſolvendam eſſe. Cum hyſterico inſultu numquam oris ſpuma, quæ paſſim cum epilepſia copulari obſervatur. Senſus interni externique non eodem modo in hyſterico, & epileptico inſultu amittuntur. In hoc ita pereunt, ut ſi ægri corpus in ardentem iniiciatur fornacem, totum abſque ullo advertentiæ ſigno coburitur. Soluto paroxyſmo hyſtericæ naturali faciei colore, *Quibus ſignis cognoſcitur hyſteriſmus.*

bo-

bona corporis alacritate, licet parum sint laxæ, ad consueta redeunt vitæ munia. Ab epileptico insultu evasæ mulieres pallidæ observantur, & stupidæ more ebriorum, nec nisi summam laxitatem in toto corpore sentiunt. Et haud raro finit morbus in cujusdam partis paralysim. Verum non negamus hujusmodi symptomata cum hysteria aliquando quoque copulari, tunc fit morbus, quem vulgo dicunt *epilepsiam uterinam*. Quando hysterica passio transit in uterinam epilepsiam interficere potest. Sic intelligimus cur aliquando extremis fatis hysterica passione quasdam laborantes mulieres cesserint. Ceterum simplex hystericus affectus numquam interficere solet. Licet vitam tædiosam, & undique ærumnis plenam hystericæ ducant. Nulli est dubium per hanc affectionem aliquando fluida, & solida quodammodo vitiari, unde aut chronicus, aut acutus lethalis morbus oriri potest, ex quo suæ vitæ finem attingit hysterica mulier. Duplici ratione hic est morbus curandus. Altera in paroxysmo, altera instituі oportet extra paroxysmum. In paro-

Hystericæ passionis prognosis.

Hystericæ passionis curatio duplex est.

roxyſmo ſi ſenſus deficiunt, procurari debet ut ægra duros in obices non incidat, a quibus aut cranii, aut alius partis fracturas, contuſiones, vulneraque accipere poteſt. Deinde videre eſt an ex fætidis fumis aliquod emolumentum ab ægra ſentiatur. Nam ab his non ſemper levamen expectatur. Coniunx mea ab fætidis fumis accipit paroxiſmi acceſſum, & ab iiſdem recipit paroxyſmi exacerbationem. Ceterum quando ſcimus hos fumos levamen afferre ſolere ex ratione, qua nova in nervis motio morboſæ adverſa excitatur, tunc charctam, lanam, calceamenti ex exiccato bovum corio confecti fruſtulum, pilos, aliaque id genus corpora comburenda ſunt, & ſub naſo ægrotæ ad excipiendum fumum debent collocari. Adhibent non ſine fructu quoque mulieres olei, vel tincturæ ſuccini, aut rutæ, aut artemiſiæ, aut alius fætidæ herbæ odorem, & ſi deglutiri poteſt dant manducandam contritam nivem oleo ſuccini imbutam; quod non reprobamus. Si vehementes ſunt convulſiones, diuque videantur durabiles leves ligaturæ

Altera in paroxyſmo.

ad

ad articulos faciendæ ſunt, & plantis pedum opium frictione adhibendum eſt. Quando non multum convulſivis motibus corpus agitatur, phlebotomiæque locus concedi poteſt, tunc ſanguis mediocri quantitate eſt educendus. Mulierem undique convulſivis motibus vexatam non eſſe arctis vingulis cuſtodiendam ſuadet illa ratio, qua in praxi videtur ægras poſt ceſſatum paroxyſmum ab hujuſmodi artificioſis vingulis, quam ab ipſo morbo majorem incommodum accipere. Mihi in uſu eſt nil in paroxyſmo hyſterico meæ conjugis operari. Cuſtodiendam ipſam jubeo hac lege, ut ne hilum quidem conſtringant ipſius corpus, ſed tantum impediant, ne in durum obicem irrumpat. Credo enim ſibi ipſi naturam in illis motibus convulſivis excitatis medicinam parare, qua paroxyſmi ſolutionem ſollicitam procurat. Omnia artis molimina fruſtranea immo & noxia ipſi ſunt.

Altera extra paroxyſmum tentanda eſt.

§. 26. Soluto hyſterico paroxyſmo ſedulo eſt moliendum, ut non redeat. Huic obeundo fini oportet nervoſi ſyſtematis firmitudinem procurare, ac tollere

lere a cerebro impreſſum hyſtericum charactarem nuper (f) indicatum, & ſi qua ſint uteri vitia tollere, aut ſaltem emendare. Sed hoc opus, hic labor? Ante omnia oportet primarum viarum ſtatum, & menſtruationis conditionem inſpicere. Ut plurimum viſcor obſidet ipſas partes, & menſtruationis aut ſuppreſſio, aut imminutio, aut perturbata periodus, aut ab eodem viſcore vitiato uterum inundante unice derivat, aut ab ipſo fomitem recipit. Hiſce apparentibus bonum eſt ante omnia repetitis lenibus emeticis corpus excutere, & hujus viſcidæ acriſque materiei eductionem ſollicitam procurare. Catharticis potiſſimum penitus eſt vale dicendum; & ſi alvus lubricari oportet ſolis emollientibus clyſteribus, vel ſaltem leviſſimis eccopotricis magneſia nempe nitri, pulpa caſſiæ recenter extracta, & ſero lactis depuratiſſimo, aut his ſimilibus innocentibus remediis eam ſolvere convenit. Dococtiones rutæ, artemiſiæ, majo-

(f) §. 24. nota.

joranæ, chamædrios, peoniæ, chamæmeli, & his similium herbarum aut simplices, aut cum sero lactis depurato hystericis mulieribus suppressione, vel imminutione menstruationis laborantibus non sine fructu nostrates propinant. Laudant quoque summopere pulverem de guttæta Riverii, castoreum, mirrham, succinum, sal volatile viperæ, quorum pulverum conjunctionem cum extracto chinchinæ faciunt, eosque per sesquimensem & ultra propinant. Nos quemadmodum hæc remedia penitus improbare non audemus, ita lubenter fatemur ab opio, moscho, valeriana sylvestri, & liquore anodyno Hoffmanni efficaciorem medicinam pro hysterica affectione posse vos habere. Quotidianis enim experimentis diu cognovi indicata nunc remedia non raro morbi integram curationem fecisse (g), sive quod hæc remedia novam in

(g) Plures casus veritatem hujus effati ostendere possent, sed inter omnes valet sequens. Nobilis juvenis annorum 30. post susceptum timorem vehementem in tantas sævissimas hyste-

in nervis morbofæ adverfam mutationem faciant, five quod fluidi nervei ataxiam tollant, five quod cerebrum, nervofque in aliam conditionem commutent, & earundem partium robur procurent, five quod per vim operentur fpecificam, certum eft hyftericæ paffionis eradicativam curam ab ipfis remediis poffe expectari. Nobis in ufu eft pulveris valerianæ fylveftris drachmam unam accipere, & cum decem granis mofchi electi, & cum quindecim guttis liquoris anodyni copulare, & in pilulas cum extracto ligni vifci quercini redigere. Harum pilularum ufum per plures menfes pratrahendum jubemus. Ceterum haud denegamus ferum lactis de-

pu-

fléricas convulfiones incidebat, ut haud raro videretur morti proxima. Adhibebantur efficaciora ex artis penu defumpta præfidia, fed omnia incaffum fuere adhibita. Poft duos annos, in quibus morbi tyrannidem virgo experiebatur, ita a convulfionibus vexata fuit, ut contractis manibus, & pedibus harum partium motu integre privabatur. Vixit per fex menfes in lecto jacens articulationum motibus orbata

puratiſſimum, lac ipſum, immo ipſa lactea diæta, balnea frigida per ſex menſes & ultra protracta, & his ſimilia, ex eo quia ab humoribus quamcumque tollunt acrimoniam, novamque in nervis in-

---

bata nobilis virgo. Dictu impar eſt, quantis convulſionum phaſibus eſſet, miſera ægra ſubjecta quando meum petiit conſilium. Poſt auditam morbi hiſtoriam ſtatim unum, & alterum leve emeticum imperavi, & pulverem valerianæ ſylveſtris cum liquore anodyno copulatam poſt emeticorum actionem ſumendam jubebam. Sero adveſperaſcente emulſiones frigidorum majorum cum additis papaverum ſeminibus in loco cœnæ bibendas concedebam, & clyſteres emollientes præſcribebam. Poſt hujus remedii uſum per menſem protractum convulſiones in diem evadebant temperatiores, ac quadammodo ceſſaverunt, & ægra in ſtatum reperiebatur e lecto exire, & greſſu licet dubio per cubile ambulare. Manus motum quoque recuperavit, & qui erant antea contracti ſolvebantur digiti. Menſtruatio, quæ antea irregularis erat ordinata fiebat. Sic virgo & a morte, & ab articulorum contractione, & a crudeliſſimis convulſionibus ab indicatis remediis libera evaſit.

inducunt mutationem, possunt morbum penitus curare. Quando cum hysterismo copulatur mensium suppressio, tunc levia emmenagoga præscribi possunt. Ex his eligenda sunt illa, quæ contra caussam indicatæ suppressionis agunt. Sic v. g. quando morbum facit magnus sanguinis viscor, seligere potestis mirrham, moschum, & pulverem artemisiæ. Vidi summopere profecisse cerussam martialem ad drachmam semis cum mirrha copulatam. Hæc remedia per plures menses dari possunt cum balneis frigidis, cumque decoctionibus chamæmeli interne sumptis conjuncta.

§.27. Sed hystericam passionem præcipue curat recte non naturalium rerum administratio. Absit ab animo hystericæ quæcumque mæstitia & timor, solique voluptati, & lætitiæ vacet. Motus est instituendus modo pedestri itinere, modo equitatione, & si fieri potest, peregrinatione, qua sola novis semper ideis animus delectatur, & corpus per susceptas frequenter concussiones roborari potest. Ducat suum incolatum ægra in loco, qui sit undique aere campestri, & ve- *Sequitur hystericæ passionis curatio.*

vegetabilibus effluviis repleto perflatus. Cibus debet esse pene semper vegetabilis, & facilis digestionis, nec aromatibus, nec multum spirituosis particulis infectus. Opimus semper est frugalis, & quando sumi debet haud raro accipiatur cum læto, & debachanti hominum concressu, a quo enascitur in animo voluptas, quæ procurat manducati cibi facilem digestionem. Matrimonium, si possibile sit, ineat cum amato viro hysterica virgo, cumque eo cohabitet ad finem filios concipiendi. Ut plurimum enim, veneris usu, & filiorum procreatione curari hystericam passionem experientia constat.

ARTICULUS V.

Graviditatis incommoda.

Describuntur præcipua graviditatis incommoda

§. 28. MUlieres virgines multis morbis sunt obnoxiæ. Sed in conjugali statu constitutæ ob graviditatem, partum, puerperium, & lactationem multa quoque incommoda patiuntur. De his dicere institutionum ratio postulat. Agemus primo de incommodis gra-

graviditatem comitantibus. Quando concipit mulier ob mutatam uteri conditionem plurima morbosa accidentia patitur, quæ tam varia & multiplicia sunt ut medicis observantibus summæ sint admirationi. Tota machinæ commotio in principio graviditatis indicat novum ens incipere vivere & vegetare in visceribus, in quibus est elaboratum. Hinc nova a natura instituitur cura, novæque parantur directiones pro viventis propagatione. In tanta igitur corporis mutatione nil mirum si in graviditatis initio sequentia patiatur incommoda mulier. Nauseant præ primis consuetos cibos, & avide cupiunt inusitatos, atque acida conditione præditos. Tussiunt, vomitant & aliquando pertinaciter, a quibus incommodis ut plurimum post quartum mensem liberantur. Licet haud raro ad usque partum iisdem vexantur morbis. Turgent mammæ non sine dolore, cessat menstruatio, & a vago per stomachum, per renes, per lumbos, per inguina, per pubem vagante dolore excruciantur. Syncope, & dyspnaea noctu potissimum adfligente laborat initio suæ

 gra-

graviditatis amicissimi mei conjux juvenis pulchra, quæ, hoc signo adparente, quatuor vicibus suam prædixit graviditatem, & quatuor robustos bonaque præditos sanitate peperit filios. Vertigines, aurium tinnitus, alvi stipticitas, urinæ decolores frequenter eductæ, animi morositas, vitæ tædium, corporis inertia, universalis languor, faciei pallor, & non raro hystericæ adparentes convulsiones, atque nonnulla alia multiplicia incommoda conceptionis signa sunt, prout frequenter in praxi observatur. At minime denegamus hæc signa non raro esse fallacia, & graviditatem minime indicare valere (*h*). Quando legitima & ve-

Non sunt certa graviditatis signa.

(*h*) Credunt medici tar. varia morbosa accidentia graviditatem comitantia pendere debere ab uteri nervorum motione, quam ab adveniente novo corpore, scilicet ovo fæcundato recipiunt. Habent hi nervi per corpus universum commercium, & possunt, modo uni, modo alteri parti nunc una, nunc alia ratione affectionem communicare. At & id ipsum accidere potest ob alias causas, nempe ob

vera eſt conceptio creſcit in dies uterus, & diſtendit, comprimitque viſcera in abdomine contenta, ex quo alia adparare ſolent accidentia. Corporis gravitas magna eſt & ad parvum motum ſumma debilitas. Omentum majus ſurſum urgetur, & non parva apparet ſpi-

---

ob lympham, aquam, mucum, ſanguinemque intra uteri vaſa morantem, quemadmodum in menſtruationis ſuppreſſione fieri ſolet, aut in alio morboſo uteri ſtato, nempe obſtructione, hydrope etc., & tunc apparere poſſunt graviditatis ſymptomata, quæ vel ſolertiſſimum in praxi medicum decipere ſolent. En ratio cur frequenter occurrant medicos quærentes certa graviditatis indicia. Et quantum adhibuerint diligentiam in tanti momenti re ſtatuenda, non niſi fruſtranea evadit ſedula attentio. Superiori anno in conjugata juvene apparuerunt omnia graviditatis indicia, quæ cum ſenſim creſcente uteri abdominiſque tumefactione adufque ſeptimum menſem duravere juvenis maritum haud imperitum medicum deceptura. Ad finem ſeptimi menſis noctu aperiebatur uterus, & tantum fætidi ſubluridi ſanguinis copiam educebat, ut morti proxima mulier redderetur. Neque quantum videre potui intra humores

randi difficultas. Pedes, & vulvæ labia inflantur, varices in crure apparent, hæmorrhoides vexant, urinæ mingendi frequens & molestus conatus oritur, nec non alvus difficilis evadit, & induratis admodum fæcibus multum dolet. Hæc signa dependent ab magna uteri compres-

---

ab utero eductos aliquid apparuit organizatum. Tota materia erat fluida, fætidissima, nigricantisque coloris. Hoc advenit juveni post duos genitos filios bona præditos sanitate, & signa, quæ apparuerunt erant penitus simillima illis, quæ duas antehabitas graviditates comitaverunt. Stricta institutionum ratio non patitur omnes recensere causas indicantes graviditatis signorum fallaciam. Vos, adolescentes, cauti extote in determinanda hac re, quæ numquam certis definiri potest signis. Mihi in usu est dicere certitudinem graviditatis non nisi post sextum mensem, quando nempe fœtus motus incipiunt in utero fieri, & a matre, medicoque explorante percipiuntur, apparere. Vos non spernere debetis apparentia conceptionis signa, sed tantum ab his visis concipere spem graviditatis potestis, quanta sufficit, ut prudenti operatione & mulieris vita, & vestra existimatio in

pressione supra intestina, & vasa abdominalia venosa, in quæ conrivare non libere potest sanguis a pedibus & a podice redux, unde fiunt pedum oedemata, varices, & hæmorrhoides. Dyspnæa accidit propter impeditum descensum diaphragmatis intra abdomen, a quo parum pectoris cavitas dilatatur, & ægre a dextero ad sinistrum cor transit per vias pulmonales sanguis.

§. 29. Hisce apparentibus graviditatis symptomatibus occurrere potestis lenibus, & prudenti methodo institutis remediis. In graviditatis initio tusses, vomitus, singultus, aliasque convulsionum species ægre admodum, nisi completo quarto mense, compescere potestis. Sat erit contritam nivem cum aqua the- *Quomodo medicari debent graviditatis incommoda.*

in tuto collocetur. Consulite Dominos Derys *over het ampt det vroedmeester*, Mauriceau *Traité des malad. des femmes grosses*, Le. uret *l' art des accouchem*, Roulin *instruct. sur la maniere de recueillir les enfans*, De La Motte *traité des accouch.* aliosque gravissimos de arte obstreticandi scriptores.

theriacali copulatam mane, & circa meridiem manducandam imperare, & advesperascente die aliquot liquoris anodyni, aut laudani liquidi sydenhamii guttas in decoctione chinchinæ bibendas. Dyspnæam, & syncopem phlebotomia prudenter in manibus ægræ instituta curare solet. Stricta alvus clysteribus simplici aqua institutis, esu olerum, & fructuum horæorum, nec non cochlearibus olei olivarum inter manducandum sumptis, & his similibus laxanda est. Evitentur sedulo vel ipsa cathartica eccoprotica, quæ ob irritationem intestinis, indeque utero factam possunt abortum arcessere, qui in graviditatis initio facile advenit. Si adest quædam sanguinis acrimonia aqua antivenerea, sero lactis depuratissimo, antiscorbuticarum herbarum usu est tollenda. Ceterum gravida mulier potissimum primis conceptionis diebus debet laudabili victus ratione uti, & si qua sit desiderium circa datum cibum ipsum sollicite expleri oportet, ne perturbata mulieris phantasia tenerrimam embrionis, aut foetus machinulam perdat. Mo-

tus

tus ſit temperatus, & ſemper evitari debet concitatior & vehemens. Saltus, choræa fortis, concuſſio aut per proprium, aut per communem motum procurata, & his ſimilia penitus ſunt interdicenda. Caveat gravida ab animi pathematibus, potiſſimum fortioribus, a quibus ut plurimum abortum fieri frequenter in praxi obſervatur. Loricarum oſſibus balenæ, & ferris concinnatarum uſus penitus abiiciendus eſt, & ſimplici vel laxe pectus abdomenque circumambiente faſcia uti convenit. Quando vero in ultimis geſtationis temporibus reperitur femina, tunc nec oedemata pedum, nec alios podicis, vulvæ, vel aliarum partium tumores, niſi poſt partum, ablata preſſione, tolli poſſunt. Convenit autem per repetitas, ſed ſemper prudenti manu factas phlebotomias tantam plenitudinem quodammodo exonerare, nec inutile erit datum corporis ſitum ſervare. Sic v.g. nec ſemper erecta perpendiculariter eſſe, nec ſemper ſedere debet mulier in ultimo geſtationis tempore conſtituta. Et quando ſedet utatur neceſſe eſt elatiori cubile,

ne

ne curva machinæ poſitione fœtui moleſtiam afferat. Bonum eſt nimiam uteri abdominiſque diſtentionem oleo amygdalarum dulcium, aut ſimplici, aut cum butyro inſulſo copulato ſuper totum abdomen inuncto mane & ſero aut tollere, aut imminuere. Et aliquot olei olivarum depuratiſſimi cochlearia aut ſummo mane, aut inter manducandum interne per aliquot dies ſumpta non levem afferre ſolent opem. Caveat diligenter gravida ab anteriori lapſu, in quem proclivis eſt ob grave pondus, quod in utero geſtat, cujus ratione ipſius machina a linea directionis facile declinat. Si alvus eſt ſtricta clyſteribus ſimplici aqua inſtitutis laxari debet, & ſemper utile eſt moderatam victus bonæ conditionis quantitatem ingerere. Quando vitioſa ſaburra primæ viæ onerantur, eam educere convenit magneſia nitri, caſſia recenter extracta, atque alio dulci eccoprotico ſumpto. Numquam me pænituit eccoprotica inter manducandum adultum fœtum geſtantibus præſcripſiſſe. A cibis enim irretitæ remediorum particulæ moderate ſolvunt avum, & nullam

lam interim utero moleſtiam creant.

§. 30. Sed alia graviora incommoda prægnantes manent. Ipſæ enim non raro uteri hæmorrhagia, & morbis corripiuntur acutis. Quando accidit hæmorrhagia ut plurimum abortum ſequitur. Multis ab cauſis oriri poteſt iſthæc hæmorrhagia. Frequenter fit a ſeparatione placentæ ab utero, qua rumpuntur plurima vaſa, quibus cum utero nectitur placenta, & ſanguinem effundunt. Quando partus eſt legitimus, & naturalis ſemper cum hac hæmorrhagia a laceratione memoratorum vaſorum orta copulatur. Heic vero non de illa hæmorrhagia, quæ partum ſequitur, ſed tantum de ea, quæ primis & mediis geſtationis menſibus apparet, ſermo eſt. In hiſce temporibus, ſive ob uteri imbecillitatem, qua haud ſubſtineri poteſt vel leve pondus, ſive ob ſanguinis acrimoniam tenerrimas fibras aut placentam cum utero, aut cum placenta chorion connectentes corrodentem, ſive ob caſum, obque alias violentas percuſſiones utero inflictas, ſive ob gravia animi pathemata, ſive ob extra vires protractum motum, ſive ob alias

Graviditatem comitari ſolet hæmorrhagia uteri.

alias quaſcumque cauſas uteri cum placenta conjunctionem ſolventes hæmorrhagia arceſſitur. Sed poteſt quoque funiculus rumpi umbilicalis, cujus ruptura vel matris, vel fœtus culpa accidit. Quando uterus eſt debilis poſt ſecundum, tertium, vel quartum, & aliquando etiam poſt ſextum menſem incipit e pudendis ſtillare ſanguis, qui ſenſim, ſenſimque aucta copia per aliquos dies educitur. Et una die magnam advenientem hæmorrhagiam cum gravi dolore, per lumbos & abdomen vagante copulatam tandem excipit abortus. Licet verum ſit aliquando apparentem ſive ſtillicidium ſanguinis, ſive hæmorrhagiam vel paucis adhibitis remediis compeſci, & ad perfectam inde maturitatem fætum perduci. Hoc accidit ex aut ſimplici dehiſcentia, aut ruptura vaſorum illius partis uteri, cui non adhæret ovum. Sed acuta febris frequenter hæmorrhagiam parere ſolet. Sive quod augetur per febrim humorum circulatorius motus, ſive quod prehenditur uterus veneno, quo undique perturbatur ipſius œconomia, ſane per adve-

advenientem acutam febrim uteri accidere ſolet hæmorrhagia, quam frequenter abortus ſequitur. Hujuſmodi ſive ſanguinis ſtillicidium, ſive hæmorrhagiam compeſcit corporis, animique quies. Debet enim ægra in lecto, horizontalem ſitum ſervando, jacere, & ab omnibus curis, animique agitationibus arcere. Phlebotomia in manibus inſtituta, maniluvia frequenter adhibita, frigidæ hauſtus, chinchinæ decoctiones mane, & ſero propinatæ multum conferre ſolent. Albumen ovi cum ſpiritu vini edulcorato conquaſſatum pluriesque de die cochleatim ſumptum in imbecillitate uteri non parum profeciſſe vidi. Ethyopem vegetabilem ad grana decem cum pulvere caſcarillæ, vel opium ipſum ad grana duo cum ſimarrhoubæ decoctione conjunctum ad inſtar incantamenti operari pluries expertus ſum. Admovent lumborum regioni mulierculæ emplaſtrum de pice navali confectum, quod penitus haud improbare ſoleo. Ad febrim, ſi qua ſit, debellandam animus eſt convertendus. Hinc poſt inſtitutam phlebotomiam adhibitis levibus eccoproticis clyſteribuſque emol-

Remedia uterinam hanc hæmorrhagiam ſiſtentia.

emollientibus, nec non diluentibus, & temperantibus, ex ſero lactis depurato, & ſale polychreſto potiſſimum elicitis, febri adhuc perſuerante, ad corticis peruviani uſum animus convertendus eſt. Atque in horum remediorum adminiſtratione fidentius inſiſtendum uſque dum cum finita febri compeſcatur hæmorrhagia. Et haud diſſimili ratione tractanda eſt gravida mulier ab acuto morbo quocumque correpta juxta reliquorum medicamentorum adminiſtrationem. Methodus ergo eſt ſequens.

Gravidarum acuti morbi quomodo tractari poſſunt.

§. 31. Acuti morbi in gravidis advenientes duplici ratione periculoſi, & forſan lethales eſſe poſſunt. Altera quando per ipſum tenerrima fœtus machinula interficitur, altera quando victus tenuis acuto morbo opportunus non alit fœtum, cujus mors matri quoque obeſt (*i*). Igitur debet gravida ægra potiſ-

(i) *Mulierem utero gerentem capi ab aliquo morbo acuto lethale eſt*. Hipp. verba ſunt aphor. lib. V. n. 30.

tiſſimum altioribus graviditatis menſibus panatellam, horæos fructus, cocholatum, jura vitulinæ carnis omni pinguedine orbata, atque aliquot limoniorum ſucci guttis infecta ſumere. Mihi in uſu eſt hydrogalam propinare, quæ ſi pluries, ſed parva copia ſumitur & ſtomacum non gravat, & opportunum matri, fœtuique dat nutrimentum. Quando mittendus eſt ſanguis attendi ſedulo debet ad morbi indolem, & præcipue ad ægrotantis vires. Nam fortis mulier gravida & indolis inflammatoriæ morbus copioſam ſanguinis quantitatem educi patitur, licet id fiat partitis vicibus. Hoc quotidianis experimentis innoteſcit, & adverſatur illo Hippocratis eſſato, quo docetur, *mulierem gravidam, miſſo ſanguine, abortire, magis ſi grandior ſit fœtus* (*k*). Emetica, & cathartica ea

 ra-

(k) Aphor. lib. V. n. 31. Veteres ad uſque animi deliquium ſanguinem detrahebant. Certe in quocumque graviditatis tempore ſi multam ſimul & ſemel ſanguinis quantitatem mulier educit abortum patitur. Sic crederem Hip-

ratione conveniunt, qua exonerata a primis viis vitiosa saburra, liberior inde evadat circulatio, fitque apta ad crisim dispositio. Et, si observationibus praestanda est fides, sancte vobis testari possum, adolescentes, emetica levia ex infusione ipecacuanhæ parata in primis putridæ febris, aliorumque id genus acutorum morborum diebus, quocúmque in graviditatis tempore summopere profecisse. Neque ullus est in iis exhibendis abortus timor, dummodo propinatur prudenti manu, & iis in casibus, in quibus vitiosa saburra primas occupat vias. Et cathartica eccoprotica pariter conveniunt, licet in iis exhibendis cautio habeatur, ut non multam intestinis, indeque utero irritatio fiat. Semper bo-

---

Hippocratem phlebtomiam, præsertim in adultiori gestationis tempore, damnasse. Nos sanguinem semel, iterum, tertio, ulteriusque in gravida detrahimus, sed semper repetita, & parca copia id facimus attendentes sedulo semper ad morbi conditionem, ægrotantisque vires.

bonum eſt cum multa aquæ quantitate copulata ea exhibere. Et veſpèri ad compeſcendam perturbationem, aut ab emetico, aut ab cathartico excitatam paregoricum ab aqua theriacali liquore anodyno Hoffmanni, aut laudano liqui-do Sydenhamii infecta, aut ab emulſionibus frigidorum majorum cum addito papaverum ſemine, aut ab his ſimilibus elicitum exhiberi debet (l). Clyſteres emollientes & leviter ſubducentes pariter commendari ſolent. Diaphoretica, & diuretica, dummodo cum diluentibus

(l) *Utero gerentes ſunt medicandæ, ſi materia turget, quarto menſe & uſque ad ſeptimum, ſed hæ minus, juniora autem & ſeniora vèreri oportet* Hippocratis aphoriſmus eſt ſect. IV. n. 1. In hujus effati commendationem ait Galenus fœtum in utero comparari debere fructui in arbore exiſtenti. Hic fructus in initio ſuæ evolutionis, & in ſua maturitate facile decidit. Quando in principio ovuli cum utero conjunctionis, & in perfecta fœtus maturitate metus eſt ne fiat abortus ob irritationem utero communicandam, caveri ſemper debet a medicamento purgante, dummodo non tur-

tibus conjungantur, quoque conveniunt. Chinchinæ usus summopere laudandus est, cujus corticis pulvis exiberi debet eo modo, quo alibi (*m*) a nobis notatum est. Convenit quoque ipsum pulverem cum archano duplicato, cum magnesia nitri, cum sale polychresto, & his similibus incisivis, & antifebrilibus salibus copulare. Gentianellæ usum quoque utilem observavimus. Balnea frigidiuscula summopere commendamus, quorum virtus nuper in septimi mensis gravida juvene putridorheumatica febri correpta cum summa animi oblectatione experti sumus. Sed advertendum est, ne ægra in balneo immergatur dum uterus sanguinem effundit, & adest abortus metus. In putridis, & biliosis febribus magnam quoque utilitatem afferre solent

turget materia, idest morbi causa irrequieto motu acta in nobili organo irrumpere minitatur. Verum nos in quocumque graviditatis tempore eccoproticis tuto utimur, nec umquam abortus accidit.

(m) In lib. de febrib. p. 86.

lent acida mineralia, cujus non parva quantitas quotidie epota ab orci faucibus non ſemel ægras liberavit.

ARTICULUS VI.

Falſus Conceptus. Abortus.

§. 32. Conceptus falſus fit quando loco fœtus collocatur in utero informis maſſa, quæ veluti carnoſa moles vocatur *mola*. Molarum origo, indoles, & eas expellendi methodus, quoad inſtitutionum anguſtiæ ſinunt, obiter nobis eſt deſcribenda. Duplex datur molarum ſpecies: altera quæ in virginibus fit: altera eſt, quæ in conjugatis obſervatur. Quæ in virginibus fit ex coagulato ſanguine uteri compreſſionem obtinente derivat. Quæ in conjugatis obſervatur per veneris uſum a perturbata conceptione proficiſcitur. Quando ſanguis venit in utero menſtruationem potiſſimum facturus morari poteſt in cavo uteri, dum per quamcumque cauſam clauditur ipſius uteri os. Sanguis naturali & violenta ad *Quæ eſt virginum mola.*

 ſe

ſe coagulandum tendentia extra vaſa ductus in cavo uteri ſenſim ſenſimque cohæret, & in formam duræ maſſæ colligitur. Atque coagulatus ſanguis in utero magis denſatur, expreſſis fluidioribus, cujus maſſæ apex in collo uteri hærens minus compreſſa mollior eſt reliqua parte in fundo uteri collocata, quæ ſemper durior reperitur. Hæc maſſa uterum quodammodo irritat, qui ad contractionem adigitur, ſicque diſponitur maſſa ad datam concipiendam formam. Et ſenſim ſenſimque per ſanguinis particularum adjectionem creſcit in magnam molem uterum diſtendentem, & graviditatis veluti ſymptomata oſtendentem. Tandem ob advenientem fortem uteri contractionem expellitur, & hæc eſt virginis mola nil fibroſi, aut carnoſi, ſed tantum coagulati ſanguinis maſſam oſtendens. Sed poteſt quoque in virginum utero ſarcoma fieri, cui ſanguinis coagulati portio adhæret, & hoc ſarcoma educitur ab utero fortiter ſe contrahente, atque dum obſervatur fibroſum, & carnoſum oſtendit contextum, a cujus inſpectione de virginum, &

Molarum virginum cauſæ.

& viduarum caſtitate abigitur. Sed perperam; nam viderat frequenter Ruyſchius virgines, & viduas illibatam caſtitatem ſervantes carnoſas moles educere, & vetulas viris non utentes eaſdem molas quoque in lucem expoſuiſſe (n). Et Clariſſimus Levret de arte obſtreticandi benemeritiſſimus auctor hujuſmodi molas in utero fieri earum, quibus menſtruatio incipit deficere, pluries obſervaverat (o). At non conſentio

 cum

(n) Obſervat. Anatom. Chirurg. n. 60.

(o) L'Art. des Accouchem. p. 189. Plures mihi occurrerunt caſus virginum molas, vel polypos ab utero educentium, quos omnes deſcribere vetat ſtricta inſtitutionum ratio. Sed unum tantum adnotamus. Virgo annum agens 22. in ſuburbani monaſterii clauſtris ab ineunte ætate detenta ſuperioris anni menſe ſextili, præviis fortibus per abdomen vagantibus doloribus, eduxit ab utero trium librarum polypum, qui referebat ſanguineam conſiſtentiam veluti carneam, & pellicula abductus apparebat. Hoc accidit die 26. menſis auguſti. Sequenti menſe ſeptembri eadem vigeſima ſexta die, præviis iiſdem doloribus, & le-

cum Clarissimis viris carnosas uteri excrescentias molas appellandi. Nam hujusmodi excrescentiæ carnosæ miris in modis variari possunt, & augeri. Neque novum est videre vel ipsas puellas uteri scirrhosum tumorem gestare, qui pendens ab utero aut decidere, aut extrahi potest. Licet aliquando mola formatur in initio, quæ tractu temporis in scirrhum commutatur, quemadmodum suis observationibus firmavere Paræus, Mo-

---

levibus universalibus tremoribus, ab utero eduxit massam sanguinis concretam referentem alam avis. Hæc mola ponderabat uncias 18. Sequentis mensis octobris eadem die 26., præcedentibus iisdem symptomatibus, molam exturbavit ab utero virgo habentem pondus unciarum 24. Hujus molæ figura erat irregularis. Novembri & decembri mense ab ipsa pariter fuerunt aductæ molæ sanguinis consistentiam memoratis æqualem & figuram referentes. Adhibita fuerunt virgini quædam remedia, & dum hæc scribo jam elapsi sunt duo menses, & fluit ab utero naturalis menstruatio.

Moschionus (p), aliique clarissimi viri.

§. 33. Molæ, quæ fiunt in utero mulierum venere utentium habent aliquam ab hactenus expositis differentiam. Repræsentant quid carnosum, & quodammodo organizatum. Nam quando ovum est fæcundatum, & in utero descendit jam e suis evoluitur membranis, & per placentam utero adhæret. Si vero ob quamcumque fiat causam, ut pereat embrionis vita, tunc huic placentæ adhuc utero adhærenti adnectitur sanguis, qui sensim, sensimque cumulatus efficit magnam massam, quæ licet prima fronte appareat inelaborata, & veluti coagmentata carnea moles, tamen intimius, & diligenter inspecta representat aliquid elaboratum, in se continens mortuum embrionem. Summa requiritur diligentia, ut ab magna sanguinis massa extricetur mortuus embrio, sed negari non debet ut plurimum inveniri dictum embrionem exiccatum, aut placentæ, aut funi-

Mulierum conjugatarum molarum causæ.

(p) Spach. Gyn. p. 430.

funiculo umbilicali adhærentem. Cl. Mauriceau (q) testatur molas originem sumere ab utriusque sexus semine corrupto. Has a falso conceptu distinguit, fateturque se pluries observasse falsos illos conceptus re vera veros fuisse in principio conceptionis. Quando perit embrionis vita, tunc sub muci specie diffluere potest, & relicta sola placenta ei tamquam per superadditionem additur sanguis, & informis mola constituitur. Quando vero embrionis vita in utero remanet per aliquod tempus, & per particularum sanguinis additionem crescit, tunc intra molæ contextum inveniri debet quædam organizatio. Et qui erant ante legitimi conceptus, & postea facti sunt informes, quare *molæ* appellandi non sunt, dummodo nil viventis, & monstruosi repræsentant (r)? Ex eo quia molæ non ha-

(q) Taite des Malad. des femm. grof. lib 1. Cap. X.

(r) Notum omnibus est mulieres non rar[...] in[...]

habent figuratas, & ordinatas membranas, neque evidens repreſentant quoddam organizatum, putat quoque illuſtris Rulenius ipſas & ab falſis conceptibus, & ab bimeſtri, & trimeſtri abortu di-

---

in lucem edere ſolere fœtus monſtruoſos. Aliquando ſupra unum truncum duo hærent capita. Aliquando ſub uno capite extant duo trunci, quatuor pedes, quatuorque brachia habentes. Modo hanc, modoque illam machinæ deformitatem repreſentant fœtus monſtruoſi. Hos non eſſe molas appellandos certum eſt. Horum monſtrorum originem acceptam referunt duobus ovis fœcundatis intra unam membranam clauſis. Quando evolvuntur partes ex vitæ actione ſecundum hanc illamque ovorum fæcundatorum determinationem, ſecundum hanc illamque uteri actionem, ſecundum hanc illamque matris poſitionem etc. oriri poteſt monſtruoſa partium conjunctio, multiplicatio, defectus etc. prout unuſquiſque hæc monſtra obſervans facile videre poteſt. Et uteri vivum organizatum monſtrum ſervantis ſtatus ſemper diverſus eſt ab illo, in quo mola grandis continetur, prout ex dicendis patebit. Adire poteſtis adoleſcentes, Rulenium loc. ſupr. cit. P. III. p. 195.

diſtingui ſemper debere. In his & membranarum ordo, & organizatio ſemper obſervatur (s).

Molarum in utero exiſtentium quænam ſigna ſunt.

§. 34. Sive habeant, ſive non habeant molæ interius quid organizatum, certum eſt eas in utero efformatas graviditatis ſymptomata quædam medicis repreſentare, a quibus non raro in errorem ducuntur. At adoleſcentes ad ſequentia attendite grave ſcopulum declinare cupientes praxim exercitaturi. Quando genita eſt in utero mola non creſcit abdomen juxta naturalem graviditatis modum. Ab initio ad ſextum menſem ſenſibili tumefactione diſtenditur. Ab hoc tempore ad uſque nonum menſem aut nihil, aut parum augetur tumefactio. In naturali graviditate augetur mammarum moles in ratione creſcentium menſium, non ſic accidit in molæ efformatione. Detumeſcunt mammæ in ſeriori falſæ conceptionis tempore. Molam geſtantes mulieres faciem defædatam, &

(s) Ibidem p. 190.

& pallidam tenent. Ut plurimum mæſtæ apparent, nec bona fruentur ſanitate. Oculorum vivacitatem amittunt. Grave pondus geſtant in utero, quod tamquam lapis decidit quocumque veritur mulier. Motus, quem poſt quartum menſem legitimam graviditatem habentes ſentiunt, numquam in utero percipitur ab iis, quæ molam conceperunt. Pulſus apparent reſtricti, & parum frequentes, nec v rum dycrotiſmum exhibent. Urinæ ardor, corporis magna inertia, perturbatus ſomnus, quædam ſanguinis guttæ ab pudendis eductæ, depravata famis, & digeſtionis actio, atque his ſimi ia vexare ſolent mulieres molam in utero geſtantes. Quando certum ſit molam eſſe in utero ad ejus expulſionem procurandam cito animus eſt veſter convertendus. Huic obeundo fini ſanguinem ſi valida eſt mulier, ſemel iterumque e pede detrahere poteſtis. Deinde ſuffumigia emollientia a vegina ſunt excipienda, & dummodo abſit hæmorrhagiæ metus convenit ſupra uterum frigidam ponere. Modo pedeſtri itinere, modo rheda per viam ſilice ſtratam du-

Quibus remediis eſt mola ab utero exturbanda.

ducta concussio quædam est a corpore ægræ accipienda ea ratione, ut exturbetur mola ab utero. Mirrha cum castoreo copulatam, pulverem sabinæ cum camphora conjunctum propinare potestis. His remediis superbibendum concedite aquam aut ex infusione florum chamæmeli, aut ex infusione ligni quassæ, aut ex infusione alius remedii emmenagogi præparatam. Opium interne sumptum, potissimum si hystericæ sæviant convulsiones, optimum remedium est ad molam educendam, & insessus emollientes quoque conveniunt. Relaxatis enim hoc remedio partibus, in quibus veluti constricta reperitur mola, facile in se educitur. Quando incipit sanguis e pudendis stillare, cum is exeat ex ruptis vasis molam cum utero ligantibus tunc subest spes eam brevi expulsam iri. Hoc in statu satis est levia emmenagoga imperare, & facere, ut ægra aut in sedia, aut in lecto quiescat, ne multa corporis agitatione hæmorrhagia adveniat. Quod si accidit hæmorrhagia, quæ mortis metum infert, tunc obstetricans est cito arcessendus, ut extrahat corpus

ex

extraneum, ſive ſit mola, ſive polypus, ſive quid aliud. Hoc vero non niſi ſumma diligentia tentari debet, quemadmodum ſapienter monent Mauriceau, De La Motte, & Leuret (*t*).

Quid abortus, & quænam eſt exacta in legitima graviditate menſium computatio.

§. 35. Abortus eſt fœtus ante debitum terminum ab utero excluſio. Cum autem juxta naturæ legem ſtatutum ſit poſt exactum nonum menſem fœtus ad debitam maturitatem pervenire, indeque hoc tempore in lucem veniens partus fit naturalis (*u*), ſequitur, ut ante hoc tempus quamcumque mulierem in lucem edentem fœtum abortum pati dicatur.

(t) Operib. ſup. cit.

(u) Circa verum naturalis partûs tempus fuere diſcordes auctorum ſententiæ. Alii ante nonum, alii poſt decimum menſem mulieres parere debere credunt. Utramque ſententiam ſuis obſervationibus unuſquiſque firmare putat. Verum ne in controverſiis texendis tempus teramus, firmiter ſtatuimus novem menſes naturam exigere voluiſſe pro debita fœtus perfectione. Et ſi ut plurimum in decimo menſe mulieres pariunt, id accidit ex eo, quia frequenter in menſium computatione error concipitur. Primum ſuppreſſionis men-

tur. Verum in uſu apud practicos eſt ſeptimeſtrem, & octimeſtrem partum non dici abortum, ſed potius partum anticipatum. Nam plures hoc in tempore enati fœtus vivunt, & adulti facti homines valida optimaque fruentur valetudine. Duplex diſtinguitur abortus ſpe-

---

menſtruationis menſem frequenter paucorum dierum ſpatium abſolvit. Sic v. g. vigeſima menſis die mulier concipit, & jam decem reliquos dies pro uno menſe computat. Quando finiti ſunt novem menſes juxta datam computationem jam non ſunt niſi octo menſes, & decem dies. Quapropter alii viginti dies ſumendi ſunt de decimo menſe, & idcirco mulieres frequenter pariunt in decimo menſe. Quod ſi obſervatur quandam mulierem poſt duodecimum, vel decimum tertium menſem, immo & multo ſerius parere, id accidere poteſt hoc modo. Mulier patitur menſtruationis ſuppreſſionem, & ſanguis diſtenden vaſa uteri, nervoſque data conceptionis ſign exhibet. Credit mulier ſe eſſe gravidam, dum re vera nulla eſt in utero facta conceptio. In hoc errore poteſt eſſe mulier per aliquot menſes. Si autem intra hoc tempus re vera concipit tunc incipit fœtus incrementum, quod perfi citu

ſpecies, alera eſt quando ovum fœcundatum in uterum eſt deſcenſum, & adhuc

I

huc

---

citur exacto nono menſe. Sed juxta conceptum errorem partus accidere deberet poſt tempus ſtatutum novem menſium. Parit mulier circa duodecimum, decimumtertium vel vigeſimum menſem; licet re vera pro debita fœtus perfectione novem menſes impenſi fuere. Cauti extote juvenes in hac re definienda, ne in foro contendentibus hæreditatem inuria fiat, dum aut legitimus hæres a bonis paternis arceatur, aut falſus hæres in hæreditatem immittatur. Univerſali enim naturæ lege ſancitum eſt, fœtus novem menſium curſu indigere pro debita perfectione adquirenda. Quod ſi ſeptimeſtris, & octimeſtris fœtus vivit, & adoleſcit in conditionem ſani hominis, id accidit ex eo; quia in optima gaudente ſanitate matre, optime conſtructus ſituſque fœtus citam adipiſcitur perfectionem. Licet non negem aliquando mulieres non cognoſcere propriam graviditatem propter apparentem adhuc menſtruationem, quæ e ſola vagina fluit, dum re vera uterus prægnans eſt. Quando duorum vel trium menſium ſpatio ex multo embryonis incremento quædam manifeſtiora ſigna graviditatis apparent, tunc incipit credere mulier ſe eſſe gravidam unius

men-

huc non adhæret ejus fundo, altera quando per placentam utero embryo eſt adligatus. In primo caſu exire poteſt ab utero jam evolutum, & verum embryonem continens, nec dolore, nec multa ſanguinis effuſione mulier laborat. In ſecundo caſu numquam abortus accidit ſine dolore, & hæmorrhagia. Hæmorrhagia, & dolor accidit ex laceratione vaſorum nexum placentæ uterique conſtituentium. Verum cum cordatioribus practicis credi-

---

menſis, dum duorum, vel trium menſium graviditatem jam habet. Parit juxta naturale tempus, & credit ſeptimeſtrem filium in lucem edere. Amiciſſimi mei conjux ſuperioribus annis peperit infantulum optime enutritum, & bona gaudentem ſanitate. Mirabatur valde cur ſeptimeſtris fœtus ſit tam optime perfectus. Nam ajebat ſe ex obſervatione menſtruationis ſuppreſſæ ſeptem geſtationis menſes numeraſſe. Sed, facta rerum obſervatione, diligenter cognovi, partum accidiſſe in termino novem geſtationis menſium. Adductæ a me permultæ rationes non adhuc perſuaſerunt honeſtam, & pulchram matronam ſe partum naturalem novem menſium habuiſſe.

ctimus non dici revera abortum expulsionem ovuli non adhuc utero adhærentis, dum nullum femina incommodum patitur, & difficile est embryonem in ovo videre sic ab utero educto.

§. 36. Causæ abortum constituentes aliæ sunt a matre, aliæ sunt a fœtu. Quæ sunt a matre reducuntur ad sequentia. Uterus debet esse dilatabilis, ut in dies crescenti fœtui aptum parare possit locum. Si rigidus, compactusque est, certe fœtum crescentem amplecti nequit, qui circa tertium quartumue mensem peribit. Si uterus est scirrhosus, obstructus tuberculisque plenus, certe liberam non admittit sanguinis circulationem fœtui alendo opportunam. Uteri pulposæ & molli parti adhærere fortiter debet placenta, per quam nutritionem a matre venientem recipere debet fœtus. Quod si tenera est uteri substantia, & valde mollis, sane parum grandiorem fœtum continere nequit, qui sic facile perit, & ante justum tempus ab utero expellitur. Præterea uterus si admodum declivis fit, & inferius prolapsum fœtum detinet,

Quibus ex causis abortus fieri solet.

is certe ab ossibus innominatis pressus moritur paulo grandior factus. Deinde mulier debet fœtui opportunum in quantitate, & qualitate nutrimentum exhibere, ut incrementum ipse capiat, & debito in tempore veniat in lucem. At hoc nutrimentum esse potest copiosum, ut in plethoricis, helluonibus, & parum exercitatis feminis accidere solet, & suffocatur fœtus. Et potest nutrimentum esse admodum deficiens, ut accidit in anorexia, aut dysorexia affectis, vel perenni vomitu vexatis, vel nimiam humorum effusionem habentibus, vel morbo correptis acuto &c., tunc abortus ob mortum fœtum fieri solet. Sic ab acri & deleterio sanguine enutritus perit in utero fœtus, & abortus accidit. Si mulier vehementibus animi pathematibus agitatur, uti ira, pavore, summoque desiderio alicujus obsonii &c., tunc ob summam in neruis, & vasis uterinis enatam agitationem, perturbationemque accidere solet abortus. Et potest uterus violentas habere compressiones, quemadmodum accidit in mulieris anteriori lapsu

& iis

& iis in casibus, in quibus verbera abdomini dantur. Novi scelestam juvenem sex mensium prægnantem, quæ ut occideret conceptum filium multa, & gravia verbera inflixit uteri regioni. Narrabat mihi se id fecisse ad vindicandam injuriam ab suo viro jam adultero facto acceptam. Proh nefas! Periit masculus infans, & abortus factus est, qui fuit admodum laboriosus improbam mulierem in grave vitæ periculum constituens. Choræa, saltus, vehementes motus aut equitatione, aut pedestri itinere instituti, validi nixus in sublevandis ponderibus &c. abortum quoque facere solent. Si tandem mulier medicamenta emmenagoga fortiora propinat, facile abortum patitur. Sed ex vitio fœtus potest quoque accidere abortus. Sic si hydrocephalo, aut hydrope laborat fœtus, si funiculus umbilicalis propter longitudinem infantis collo contorquetur, si pro brevitate funiculus ab fœtus motibus cum placenta ab utero sejungitur, si placenta exigua fuerit cum utero debilem nexum constituens, si præ justo durior, aut

 scir-

Mortui fœtus in utero causæ, & signa assignantur. scirrhosa debitum nutrimentum transmittere impar, tunc post longum languorem, abortu subsequente, peribit infans (*x*).

§. 36.

(x) Hactenus expositas abortus causas valere fœtum interficere unusquisque videre potest. Quando in utero est mortuus fœtus, nisi exturbetur, grave negotium & medicis, & mulieribus facessit. Mulieres in grave vitæ discrimen constituuntur, & medici fama periclitatur. Vos, adolescentes, summa qua decet diligentia, mortuum in utero fœtum cognoscite, ut petitis ab arte opportunis auxiliis mulieribus tantum malum habentibus, moxque morituris, succurrere facile possitis. Si nullum amplius fœtus motum percipit mulier, si grave pondus in utero habet, quod tamquam lapis quo vertitur ægra procumbit, si fœtidi & corrupti humores e pudendis prodeunt, si frequenti corripitur syncope, si faciem habet perterritam, & oculos obtenebratos, si turgidæ flaccescunt & decidunt mammæ, si tenesmo laborat, & noctes vigiles, aut insomniis plenum somnum ducit, tunc in utero fœtum mortuum gerit mulier. Horum signorum fœtum in utero mortuum indicantium ratio est sequens. Dum vivit in utero fœtus, præsertim, quando est perfe-

§. 36. Signa, quibus prædici abortus ſolet ſequentia ſunt. Dolor percipitur, qui ſenſim ſenſimque fertur à poſte- *Abortus ſigna.*

---

fectus, ſemper aliquali ſpontaneo motu agitari debet. Sic ultimo geſtationis tempore vel ſimpliciter inſpicientibus abdomen occurrit fœtus irrequieti ſtatus modo unam, modo alteram uteri partem ferientis. Quando nullus percipitur motus, ſane de fœtus morte haud ſpernendum dubium habere poteſtis. Sed unico hoc ſigno haud ſemper fidere debetis. Nam pluries mihi accidit mulieres videre, quæ putantes ſe gerere in utero fœtum mortuum ex nullo percepto motu, tamen vivum, & forſan bonæ ſanitatis filium pepererunt. Quando eſt mortuus fœtus jam nullo vitali actu ſe amplius in utero ſubſtineri poteſt; hinc tamquam lapis decidit quo vertitur mulier. Fætidi humoris eductio fit, ſi apertis membranis fœtum obvolventibus, & effuſa aqua, datur aeri in uterum ingreſſus, ſicque tenerrimæ fœtus partes corrumpuntur & decidunt. Ita fit, ut ex viſis hujuſmodi putridis ab utero venientibus humoribus de tuta fœtus morte ſtatutum ab obſtetricantibus ſit. Et eo verior eſt accidens, quo cuticulæ, aut alius partis ad fœtum pertinentis eductio accidit. Verum ſedulo advertite ado-

rioribus ad anteriora peluis abdominalis currens. Sanguis e pudendis emittitur, qui in dies copiosior evadit,
Pul-

---

lescentes, ne hujusmodi signum fallax aliquando cum sit in errorem gravem incidatis. Quando chorion, & placenta incipit ab utero separari multus effunditur sanguis, qui si aliqua ex causa coit in grumos uteri orificium obfarcientes, sane corrumpitur per aeris accessum, & sic corruptus educitur, dum fœtus adhuc in utero vivit. Immo ut plurimum accidit videre quasdam mulieres, quæ ante naturalem partum emittunt multam fœtidi sanguinis nigricantisque quantitatem. Et si gemellus alter moritur, dum alter vivens est, certe educitur fœtidus ab pudendis humor, & vivit in utero fœtus. Facies statum hominis naturalem repræsentat, quæ, quando tristis, & obtenebrata apparet, indicat in corpore adesse aliquid vitiosi, quod vitæ finem minitatur. Id facere potest mortuus in utero fœtus, cujus corruptione corrumpi potest etiam uterus. Mammæ cum utero summum habentes commercium collabascunt a malo uteri statu. Nam dum servat fœtum mortuum, indeque nociturum uterus male afficitur, & disponitur ad irreparabilem corruptionem subeundam. Hunc infelicem uteri statum mammæ

Pulſus quodammodo perturbatur evadens parum celer frequens, & reſtrictus. Abdominis figura mutatur, ſcili-

---

imæ oſtendentes collabaſci neceſſario debent. Et ſi teneſmo corripitur ægra inſcia conatur expellere nociturum in utero mortuum fœtum. Vicinum inteſtinum rectum ſentit irritationes, quas facit cadaver in utero clauſum, ſicque frequentibus, irritiſque conatibus fæcibus expellendis inſervientibus tentat inſcia mulier illud cadaver exturbare. Nec rarum eſt videre putrida febri hujuſmodi ægras corripi. Hæc febris partim accidit ab putrido miaſmate intra ſanguinem ingreſſo, partim ab gravi labe, quam concipit uterus in contactum habens putridum mortuum fœtum. Somnum habent perturbatum, inſomniiſque plenum hujuſmodi mulieres ex eo, quia humorum per cerebrum ductorum tranquillitas, & placidiſſima circulatio nulla accidere poteſt, dum tanta perturbatione uterus afficitur. Et nullam arteriarum pulſationem obſtetricans immiſſa in utero manu percipere poteſt, dum penitus mortuus eſt fœtus. Advertendum ſedulo eſt ne digitorum explorantium chirurgorum arteriarum pulſationes pro mortui fœtus pulſationibus accipiantur. Tandem frequentes ſyncopes accidunt ex perturbatione, quam cordis nervi

licet depressior, inferiorque sit. Tumefactæ collabascunt mammæ, & ægrotantis faciei vivacitas quodammodo

---

vi ab utero per sympathiam concipiunt. Neque denegamus posse aliquando fœtum mortuum in durum tumorem converti, ac per triginta & plures annos servari, quemadmodum testantur observat: Accademiæ scient: an. 1721., an. 1748. Quando ex his aut ex similibus signis notum sit mortuum jam in utero esse fœtum, tunc omni conamine est moliendum, ut cito exturbetur. Huic obeundo operi obstetricans potissimum valet, qui diligenti manu pedes accipiendo simul & semel fœtum extrahere ab utero potest. Hoc axilii genus mulieri præ primis exhibendum est, ut quo citius fieri possit ab gravi malo liberetur. Et si nullo modo perturbatus situs cadaveris inverti potest, debet diligenter frustillatim abscindi, quemadmodum docent Mauriceau, Levret, aliique obstetriciæ artis magistri. Quando id aut fieri non potest, aut fieri non permittit mulier, tunc totum opus medico committendum est, qui languentes partus dolores erigere, & acuere debet propinatis aqua cinnamomi, vino generoso, aut decoctionibus sabinæ, chamæmeli, aliarumque herbarum emmenogagarum decoctionibus cum mir-

do imminuitur. Quo crescunt dolores uterini, quo augetur sanguinis eductio, quo pulsus frequentiores restrictioresque evadunt, eo proximior est abortus, qui eo periculosior est, quo factus sit per violentas causas, nempe per casum, aut per verbera abdomini inflicta, aut per vehemens animi pathema &c. Quinque, aut sex mensium abortus periculo plenus est, utpote qui utero ma-

---

mirrha copulatis. Optime se gerit mulier instituens frictiones super uteri regionem, & adhibens conatus fortiter inspirando auctos, quibus obtinere potest sui mortui fœtus expulsionem. Si enatæ convulsiones arctant uterum, & impediunt exitum cadaveris, tunc opium est propinandum, & inectiones emollientium plantarum in uterum iniiciendæ sunt. Dum hæc peraguntur convenit super abdomen frigidam admovere, ut contracto utero, educatur fœtus. Si febris putrida enata est, debet chinchina, & acidis mineralibus curari, ut, quo fieri possit, arceatur ab utero gangræna. Hisce, aut similibus nil proficientibus, ne certæ morti committatur mulier obstetricans est arcessendus, cujus diligenti operi committenda est cadaveris cita extractio.

Abortus vitæ infert periculum. magnum infligit vulnus, & qui summam in corpore excitat perturbationem. Hujusmodi abortum magna sequitur hæmorrhagia, quæ in grave vitæ discrimen ægram ducit. Cum autem memorata abortum indicantia signa pendeant a violenta separatione placentæ ab utero, apparet naturali partu abortum semper periculosiorem esse, in quo hujusmodi separatio sponte procedit, nec fit multa vasorum reptura. Deinde in naturali partu uteri orificium molle evadit, & ab transeunte fœtu parum irritatur, maximusque inde oritur dolor. Nec rarum est videre hujusmodi uteri læsionem excipere inflammationem, quæ pene semper lethalis esse solet.

Quomodo curari debet. Huic curando morbo cauti adolescentes adhibete medicamenta ex ratione & experientia comprobata. Debet mulier corporis, animique quietem servare in lecto jacens. Et si vires constant, & non multa est sanguinis per uterum effusio, aperta manus vena, sanguis educendus est parca dosi. Hæc phlebotomia repeti potest ex ratione, qua observatur dolores fieri sæviores, pulsus eva-

evadere vibratiores, reſtrictioresque, & durat ſanguinis eductio per pudenda. Opiata interne exhibenda ſunt, quibus & dolores compeſci ſolent, & hæmorrhagia ſiſtitur. Optimum eſt laudanum opiatum in aqua theriacali ſolutum ad grana duo, & cochleatim pluries de die propinatum. Huic remedio ſuperbibi poteſt aut frigida, aut contrita nix. Diæta exacte eſt imperanda primis ſaltem diebus, deinde ne vires fatiſcant, & fœtus ob nutrimenti defectum pereat, hydrogala eſt concedenda aut ſimplex, aut cum fruſtulo panis copulata. Si febris periodica acuta orta abortum minitatur, opportunis remediis præſertim ab ſalibus inciſivis, chinchina, balneis frigidiuſculis, acidis vegetabilibus, & aliquando etiam mineralibus, aliisque id genus auxiliis eſt expellenda. Omnes ſuavi odores arcendi ſunt. Alvus neque multum lubrica, neque multum ſtricta ſervari debet. Clyſteres emollientes eo in caſu adhibendi ſunt, in quo timetur cumulatas multas duras fæces in inteſtino recto uterum comprimere poſſe, & ſanguinis effuſio-

ſionem ab utero, indeque abortum arceſſere valere. Quando ob debilitatam uteri compagem abortus fieri ſolet, vidi profeciſſe decoctionem chinchinæ cum ſpiritu vini edulcorato, aut cum aqua cinnamomi copulatam. Lumborum regioni admovent nonnulli, nec ſine ratione, emplaſtrum de pice navali confectum. Mulier ob debilitatum uterum numquam ad juſtum tempus graviditatem ducens debet ſemper arceri a fortibus corporis motibus, concuſſionibusque, & ab ſeveris domeſticis curis. Ruſticatio optima eſt, & vita per temperatum exercitium in campeſtri aere ducta admodum erit opportuna. Matrona annorum 35. novem abortus ſex menſium paſſa eſt. Hæc per mollitiem, & ciborum euchymorum, nec non liquorum ſpirituoſorum abuſum magnam uteri debilitatem contraxit, qua paulo grandior factus fœtus haud amplius in utero ſubſtineri poterat. Poſtquam omnia remedia ex martialibus, amaricantibus, aquis thermalibus, balneis frigidiuſculis, aliiſque uterum corroborare valentibus deſumpta incaſſum fuere

re adhibita, imperavi rusticationem, motumque per moderatum exercitium modo pedestri itinere, modo equitatione institutum, & vitam per opportunam ciborum electionem ductam. Hoc per sex menses facto, vidi cum summa animi oblectatione gravidam matronam debito tempore parere optime enutritum infantulum. Et postea pari felicitate duos alios filios bona præditos sanitate in debito tempore in lucem edidit. At advertite, adolescentes, ne, apparentibus abortus symptomatibus, hæc præscribatis. Hoc enim in tempore uti potestis remediis paulo supra notatis. Præscribite memoratam rusticationem ad præcavendum futurum, pòst novam conceptionem, non imminentem abortum.

ARTICULUS VII.

Partus Difficilis.

§. 37. Mulieres omnes post Adæ peccatum parere cum dolore magno debere certum est. Hic do- *Quænam sunt causæ partum difficilem constituentes.*

dolor pendet a summa distractione colli uteri, & vaginæ, quam trans has partes ductùs facit fœtus. Ergo omnis partus dici deberet difficilis ex eo, quia multum matri infert laborem. Verum in usu est apud omnes medicos, & obstetricantes partum naturalem dici illum, qui accidit debito graviditatis termino, prompte, & sine gravibus accidentibus, & tunc fœtus expellitur vivus, sanus, & bono situ (*y*). Quando aut una, aut plures conditiones ab his recedunt, fit partus difficilis. Difficilis partus accidit vel vitio matris, vel vitio fœtus, vel utriusque. Plures adesse possunt causæ, quæ ad matrem pertinent difficilem partum facturæ. Si mulier admodum est debilis, jam deficiunt opportunæ vires tantum opus perficiendi, & partus laborosus evadit. Uteri validas contractiones requiri præcipue ad fœtum expellendum omnes

(y) Has conditiones pro naturali partu requiri docet Mauriceau malat. des femm. grof. c. 2.

omnes ſcimus. Adjuvant has vires diaphragmatis, & muſculorum abdominalium contractiones, quas mulier inſpirando intendit, augetque, quemadmodum in omni naturaliter parturiente obſervamus. Si autem mulier aut ob acuti morbi toleratos labores, aut ob vigiliam nimis longam, aut ob alius cujuſcumque humoris copioſam effuſionem habitam, aut aliam ob cauſam debilis evaſerit, ſuis conatibus uteri contractiones augere non valet, ſicque fœtus non expellitur. Hinc merito damnandæ ſunt mulierculæ illæ obſtetricantes, quæ credentes, & promittentes partum vicinum, cogunt fortiter parturientes, ut ſuis conatibus, quo fieri citius poſſit, exturbent fœtum. Sed cum tempus pariendi non eſt opportunum, incaſſum vires conſumuntur, & mulier inde difficile parit jam debilis facta. Quocirca etiam atque etiam vos moneo, adoleſcentes, ne in curuli ſella diu jacere parturientem ſinatis vires certe perdituram, non adhuc proximo pariendi tempore. Hanc difficilis partus cauſam frequentem eſſe in praxi cognovi. Si

collum uteri cum vagina nimis arctum sit, partus evadit difficilis. In primiparis ob angustas vias trans quas ferendus est fœtus, partus ut plurimum evadit difficilis. Et natura sciens has vias, ut cederent facile distendenti fœtui, madescere nimis debere, quatuor, aut quinque ante partus dies mittit unctuosum, & mucosum humorem humectationi, & lubricitati harum partium opportunum, ut facilior nascituro fœtui paretur transitus. Hinc mulieres ex pudendorum humectatione magna visa prænunciant vicinum partum. Si tumor comprimit has vias, laboriosus pariter evadit partus. Sic natura, ne ex congesta in vesica multa urina, collectisque in intestino recto multis fœcibus, fiat utero, & vaginæ compressio partum impediens, cavit diligenter, ut paulo ante partum diarrhœa exciteтur, & frequentes mingendi oriantur conatus, quibus, indicatarum partium libertate facta, nullum obstaculum transituro fœtui exhibetur. Sed possunt re vera aut circa uterum, & vaginam, aut intra ipsarum partium cavum generari tumores po-

polyposi, steatomatosi, aut alius indolis, qui maturi fœtus exclusionem remorari valent. Et ipse vaginæ prolapsus, (qui accidit, quando interior ipsius canalis membrana facta laxior supra se ipsam invertitur, & extra uvluam prominet sub forma quasi anuli turgidi inæqualiter plicati) potest quoque exitum fœtus liberum impedire.

Partus difficilis aliæ indicantur causæ.

§. 38. Si post conceptionem in collo uteri, & in interiori vaginæ superficie ulcuscula enascuntur, potest his coalitus labiorum uteri & vaginae fieri, qui, nisi aperitur, numquam mulier parere potest, quemadmodum ex Benevoli observationibus constat (z). Si ossium pelvim abdominalem componentium arctior est apertura, sane nullus datur transituro fœtui opportunus aptusque locus. Observat Cl. Levret pelvim esse justo angustiorem, si manum abstetricantis chirurgi ipsa admittere non valet (*a*). Chirurgi manus de-

K 2

(z) Observat. Dissert. V. p. *96*.
(a) L' Art. des Accouch.

debet esse musculosa, fortis, sed simul non admodum lata, & oblongis digitis ornata. Quando hæc manus in pelvim intromitti nequit, tunc pessima est pelvis cavitas partum difficillimum factura. Possunt hujus pelvis ossa plurima habere mala, uti exostoses, & gummata, quibus angustari naturalis cavitas debet. Sed rachitis præ omnibus morbis indicatorum ossium deformitatem facit. Vident obstetriciæ artis magistri mulieres olim rachitide laborantes ut plurimum partum laboriosissimum habere. In hoc morbo os sacrum, & ossa pubis introrsum vertuntur, ex quo spatium sacro pubis arctissimum efficitur. Vidi semel iterumque in duas rachiticas, quarum mox infra historiam referam, indicatum spatium arctissimum esse. Per hoc spatium quomodo caput, & humeri fœtus maturi exire possunt? Hinc nisi aut arte, aut natura moliente, separentur ossa pubis, & aditus major paratur, aut Cæsarea instituenda est operatio, aut cum filio mater perire necessario debet. Si tandem aut per validas uteri contractiones, aut per

per vehementes fœtus calces, quos dum in angusta nimis pelui capite inclavato reperitur fœtus matri infligit, uterus rumpitur, tunc aut totus fœtus, aut aliqua ejus pars intra abdominis cavum cadit, sicque difficilis partus evadit. Rupti uteri exempla plura extant apud Lamotte (*b*), qui pluries immissa manu in utero ad fœtum extrahendum viderat ruptum uterum, & manu tangere potuit mulieris intestina. Alexander Monrous viderat una cum placenta delapsum fœtum in cavum abdominis per uterum ruptum, immo & in maximis parturientis conatibus crepuisse abdomen, & fœtum, ac secundinas exivisse testatur (*c*).

§. 39. Fœtus vero vitio fit partus laboriosus, si is justo sit grandior, si ca- *Difficilis partus causæ ex vitio fœtus.*

(b) Traité des accouchemens liv. IV. c. V.

(c) Essays and observat. physic. and. lit. vol. 2. p. 340. Consulite celeberrimum tractatum *de utero rupto* cl. Crants, in quo plura recensentur signa rupti uteri, & plures afferuntur casus indicantes morbum, de quo sermo est.

caput prægrande habeat, si mortuus in utero fuerit, si malo, & a naturali diverso situ in utero sit locatus. Quando fœtus nimis grandis est, vel magno donatur capite obturans uteri orificium viam sibi transituro claudit, sicque difficilis evadit partus. Si mortuus est foetus jam nullum exercet nisum, quo sibi exitum procuret, ægerrimeque ab utero expellitur. Nam licet verum sit sola uteri vehementi contractione fœtum exturbari solere, sed verum pariter est conatus fœtus diuturni carceris pertæsi exitumque quærentis validos partum sollicitare. Hi canatus deficiunt quando fœtus malo situ exitum sibi procurat, certe aut nullus, aut difficilis admodum evadit partus. Naturalis fœtus situs in partu est quando vertex ejus dilatando sensim sensimque uteri orificium imminet vaginæ dilatatæ ostio. Tunc facies respicit os sacrum, et occiput ossa pubis, & brachia, lateribus applicata soluta sunt. Si autem, aut transuerse situs est, aut natibus respicit uteri collum, tunc, nisi hic situs invertitur, difficile potest extrahi fœtus. Quan-

Quando partus eſt gemellus, & uterque fœtus exitum ſimul & ſemel exitum procurat, jam laborioſus conſtituitur partus. Monſtuoſus fœtus, aut cum magna mola copulatus difficilem quoque conſtituit partum. Sollicite itaque obſtetricantes aut in matre, aut in filio, aut in utroque difficilis partus exiſtentes cauſas tollunt, ut quo fieri poſſit, vel utriuſque, vel alterius vita ſervetur. Non poteſt medicus difficilem partum cognoſcere, niſi ſciat naturalem partum. Huic cognoſcendo ſedulo attendite, adoleſcentes, ne fruſtraneum opus veſtrum evadat (*d*).

(d) Mulier mox paritura habet dolores incipientes a lumbis ad uſque pubem ſe extendentes. Hi dolores ad inſtar teneſmi adfligunt, & quando recurrunt ſemper a poſterioribus ad anteriora venientes cum quodam pondere pudendas partes divellente copulantur. Et eo ſæviores, frequentioreſque recurrunt, dolores, quo proximior eſt partus. Aliquot diebus ante partum abdominis tumor deſcendit, ac veluti in imam pelvim totus caderet indicat inverſum eſſe caput fœtus tamquam ſi

Quomodo difficilis partus causæ tollendæ sunt.

§. 40. Si autem partus fit difficilis ob debiles mulieris vires, hæ sunt erigendæ opportunis alimentis. Quando post partum vulnus in utero relinquitur, quemadmodum advertit Svvietenus (*e*) non

---

si ingrederetur in uteri collum. Hanc fœtus inversionem vocant Itali *capitombolo*. Incipit e pudendis stillare mucosus humor, qui haud raro cum sanguine mixtus excernitur. Possunt cum hac abdominis tumoris inversione conjungi dolores, qui non sunt veri, sed spurii, scilicet quando per abdomen vagantur, & sunt veluti hysterici dolores, a quibus non modo non indicatur proximus partus, sed potius impeditur. Convenit enim eos opiatis compescere. Nec rarum est videre gravidam mulierem post octavum mensem habere hanc inversionem cum doloribus copulatam, interim partus post alium mensem, & ultra accidit, quemadmodum se vidisse pluries testatur M uriceau loc. cit. t. I. liv. II. chap. II. Pulsus in proximo partus tempore evadunt frequentes, & contracti, & adposita manu observat obstetricans caput fœtus jam propinquum uteri orificio. Hoc orificium apertum, & molle esse solet, & continuo cum vagina ab affusa multa lympha madescit. Hisce apa-

(e) non debet multis repleri calefacientibus, & ſpiritoſis aquis, oleiſque, quia paulo poſt hæc remedia tranſientia per excitatum vulnus arceſſere inflammationem valent. Hinc male faciunt mulierculæ mox parituris adſiſtentes, quando multam olei, & aquæ cinnamomi, nec non vini ſpirituoſi quantitatem exhibent. Nobis in uſu eſt vitulinæ carnis jus, aut cocholatum, aut vini paucum, aut his ſimile aliud

---

parentibus ſignis mulier utpote mox paritura collocari ſolet in ſella ad hoc opus excavata, vel rectius in lecti ora, quemadmodum vult Levret, & hinc inde comprimentibus manibus lecti pulvinaria, validis inſpirationibus, & ſummis muſculorum abdominalium, ac diaphragmatis concuſſionibus procuret neceſſe eſt fœtus expulſionem. Oſtetricans in naturali partu nil aliud moliri debet, niſi accipere, id quod viribus matris ab utero expellitur, & debito, opportunoque modo ad vitæ longævitatem ſervare. Quando ab his conditionibus recedit partus, tunc eſſe ſolet laborioſus & difficilis, cui ſequentibus auxiliis obſtetricans ſuccurrere debet.

(e) In comment. aph. Boerhaav. 1312.

aliud enutriens, & cardiacum exhibere. Ceterum in languenti mulieri, ideoque foetum expellere non valenti aut vomitum aut sternutationem excitare bonum est, quemadmodum Hipocrates docet (*f*). Uteri angustum durumque orificium leniendum est admoto butyro, vel oleo amygdalarum dulcium, atque institutis fomentis a vagina exceptis, vel ipsis semicubeis ex aqua chamæmeli, vel malvæ decoctione cum lacte copulata paratis, in quibus pluries de die immergenda est mulier. Et si viæ aut obcæcatæ, aut admodum arctæ sunt, aut coalitæ aptis sunt aperiendæ instrumentis, quemadmodum sapienter chirurgi operari solent. Et si interior vaginæ membrana relaxata extra vulvam propendet, debet pessario ex carptis filis aqua gurgitelli infectis concinnato substineri, & in proprio reponi loco. In lecto detineri debet mulier, & adstringentibus uti fomentis. Sic recens vaginæ prolapsus

(f) In aphoris. lib. sect. v. n. 35.

lapsus curari solet. Omnis tumor tolli debet, ut via transituro foetui paretur. Hic tumor potest esse intra & extra vaginam, & uteri collum. Quocumque reperiatur modo, semper convenienti methodo tolli debet. Tandem si ob diametri sacro-pubis summam angustiam foetus nullo modo extrahi potest, & emollientibus antea fotibus institutis obtineri nequeat, ut laxatis ossibus, factoque illo spatio ampliori partus adveniat, tunc mulieri in gravi vitae discrimine constitutae chirurgi manu cito est succurrendum (g).

Ossium pubis symphysis operatio nova indicatur.

AR-

(g) Quando spatium inter ossa pubis, & os sacrum parvum est, tunc nullo modo, nisi aut natura, aut arte hoc spatium ampliatur, foetus exire potest. Si non sunt exostoses, aut gummata, aut alii tumores memoratorum ossium deformitatem, indeque angustiam pelvis constituentes, certe vitium a rachitide, ut nuper dicebamus §. 37. est repetendum. Hoc in casu intra emollientes insessus pluries de die sedere faciunt mulieres, ut, emollitis ossibus, urgens caput foetus possit sibi tantam diametrum aptare, quanta sufficit ut foras venire possit. At quis umquam sibi per-

ARTICULUS VIII.

Puerperii Morbi.

Poſt fœtus eductionem accidit ſecudinarum expulſio.

§. 41. Poſtquam mulieres fætum ab utero exturbant, debent cum placenta chorion educere. Et do-
do-

perſuadere poteſt, ut duriſſima oſſa aut rumpi, aut e loco ſuo removeri valeant, admota quacumque vi, a fœtu exitum quærente. Sane aut fœtus & mater extremum fatum ſubire debet, aut chirurgica operatio inſtitui convenit. Prudentia vult, ut vel dubioſiſſimæ operationi potius committatur mulier, quam certæ morti tradatur. Scimus duplicem operationem fieri poſſe, nempe aut partus inſtituendus cæſareus, aut ſymphiſis oſſium pubis recidenda eſt. Hic advertendum eſt, nos eo ſenſu hujuſmodi operationes inſtitui debere tuto adſerere, in quo nullo modo chirurgi manus immitti intra uterum poteſt ob arctum ſpatium inter oſſa pubis, & os ſacrum ſitum. Quod ſi manus immitti poteſt, tunc ſedulo moliendum eſt, ut aut manibus, aut Levretiano forcipe fœtus extrahatur. Et ſi nullo modo ingredi intra uterum poteſt, tunc memoratæ operationes cito ſunt faciendæ.
Qui

oribus ac labore vexantur quoque mulieres secundum hunc veluti partum facientes. Quando exit fœtus suo umbili-

---

Qui credunt cæsareum partum instituendum esse, semper ipsum post matris obitum faciunt. Piaculum enim est, vivente matre, uterum aperire, & certæ neci miseram committere, Neque enim servari potest mulier partus doloribus antea vexata, indeque debilis, cui & abdomini, & vasculosissimo utero magnum infligitur vulnus. Et haud certum est, instituta cæsarea sectione, fœtum vivum extrahi. Nam immediato aeris contactui expositus infans ob uteri violentam sectionem magnam in tenero suo corpore habet mutationem, a qua facile interfici potest. Hinc merito Paræus adserit *id curationis genus, quod periculi & desperationis plenum est; numquam usurpandum esse lib. de gener. Cap.* 31., Et Mauriceau contra hanc operationem acriter declamat, & numquam, nisi post matris obitum tentandam esse adfirmat in loc. cit. liv. 2. Chap. 32. Neque ipse Levret huic penitus acquiescit operationi. Tantum adserit tubalem, & abdominalem conceptionem sectionem cæsaream eo sensu requirere, quia nullo modo per vias naturales educi potest fœtus. Sed quænam sunt certa harum conceptio-

licali funiculo trahit quodammodo placentam, quæ, ruptis vasis cum utero ipsam ligantibus, educitur. Sed requiritur

---

ptionum signa diagnostica? L' Art des Accouch. p. 10.; Cum autem & auctorum de obstetricia arte benemeritissimorum testimonio, & ratione, & experientia constat non esse, nisi post obitum matris tentandam cæsaream sectionem (quidquid De La Motte vestigiis insistens Swietenus eam posse fieri adserat in comment. aphorismor. Boerhavv. 1316. t. VIII. p. 175.) facile inferri debet ad salvandam & matrem, & fœtum unicam superesse simphysis operationem, qua nempe abscinditur cartilago conjungens ossa pubis. Primus quoad scimus, qui hanc operationem Parisiis instituit, fuit Dominus Sigaud Medecin de la faculté; Inde Alphonsus le Roy eam pluries cum haud infelici successu fecit, quemadmodum videre est in opere Domini Sue, cujus titulus *essais historiques e critiques sur l' art des accouchemens T. I. p. 276. dissert. 12. reflexion historique, e critiques sur l' operation dite la section della symphise du pubis*. Extant vero auctores, & inter alios Dominus Lheritier, & Dominus Etienne, qui memoratam operationem tamquam periculosam, & inu-

tur data uteri contractio poſtquam fœtus eductus eſt, cui contractioni præcipue debetur ſecundinarum expulſio. Hinc

---

inutilem rejiciunt ſequentibus ducti argumentis, 1. Oſſa pubis ſemel ſeparata numquam conjunguntur. 2. hac operatione, ajunt, lædi poſſe veſicam oſſibus pubis immediate ſuppoſitam; 3. Ligamentorum ſacroiliacorum diſtractione tumores produci poſſunt, qui in ſupperationem abeuntes certe interficere poſſunt. Concludunt itaque hanc operationem utpote non adhuc ornatam certis, multiſque obſervationibus & factis eſſe abiiciendam. Verum mox excitatus Alphonſus de le Roy adverſus hos contendit operationem ſymphiſis tutam eſſe, & ſibi ipſi pluries felicem ceſſiſſe adſerit. De ſectione cartilaginis oſſa pubis conjungentis utilitate quiſque ſibi perſuadere poteſt ſolum cogitando cæſarea ſectione eſſe tutiorem. In hac operatione non reciduntur partes magni uſus, non magni nervi, non grandia vaſa, non organa nobilia ſecantur. Quando cum attentione inſtituitur neque veſica urinaria inciditur, neque ligamenta pubis admodum irritantur, & facile cum fœtus extractione prompta, mater ſervari poteſt. Et dictis facta, obſervationeſque reſpondent. Petiit Incurabilium Noſo-

co-

Hinc merito ſuadent Mauriceau, & Levret parumper expectandum eſſe poſt fœtus expulſionem, ut contrahatur uterus;

---

comium *Victoria Patrocca* juvenis annorum 24., quæ gravidatem octo menſium gerebat. Suæ ætatis initio fuit rachitica, ideoque corporis ſtatura erat tam parva, ut cunctis nobis ſummæ eſſet admirationi. Vix quatuor palmorum altitudinem æquabat. Cum omnia oſſa eſſent diſtorta, pelvis abdominalis erat tam arcta, ut vix digiti duo intra ſpatium ſacropubis immitti potuiſſent. Unanimi ſententia a nobis ſtatuebatur, Victoriam parere non poſſe naturali modo. Exacto nono menſe apparentibuſque partus ſignis, diu in ſemicubeo ex aqua chamæmeli, & lacte parato ad emolliendas inferiores partes pelvis detinebatur. Et advocato noſocomii coriphæorum medicorum conſilio ſtatutum eſt, aut Victoriæ cum ſuo fœtu eſſe moriendum, aut chirurgicæ operationi eam eſſe committendam. Cæſaream ſectionem tamquam lethalem neglexerunt, & Duce cl. Dominico Cotunnio noſtræ nationis ornamento, ſymphiſis pubis oſſium ſectionem faciendam ſtatuerunt. Dominicus Ferrara de Oſtetricia arte benemeritiſſimus vir-

rus; hac enim contractione obtinetur fa-
cilis ſecundinarum eductio. Itaque dam-
nandæ ſunt illæ mulierculæ, quæ anxie
L puer-

---

vir operationem fecit. Die itaque undecima Martii currentis anni 1787. in hunc modum operatio facta eſt. Novacula pili pubis reciſi antea fuere, inde a Ferrara, adſiſtentibus inter alios ſapientiſſimos Chirurgos Juliano Pollio, & Nicolaus Franchini, ſublevata integumenta pubis, & ſufficienter inciſa ſunt. Poſtea inventa fuit cartilago conjungens pubis oſſa, & fiſſo biſtorino ſollicite riciſa eſt felici admodum ſucceſſu. Nam tantam poſt cartilaginis inciſionem latitudinem obtinuit obſtetricans, ut fœtus extractioni ſe aptaverit. Hæc operatio evadebat felix, quia poſt mutatum ſitum fœtus jam pedes apprehenſi ſunt, ſi non obſtaret caput ejus, quod cum eſſet ſolito grandius, ſummam reſiſtentiam fecit, & prima vice extractio non fuit abſoluta. Verum poſt varia chirurgorum artificia extractus eſt fœtus, qui accepto baptiſmate ſalutari, poſt aliquot minuta mortuus eſt. Juvenis tanto incommodo, & labore veluti ſemianimis facta in lectum repoſita eſt, ſtatimque cardiacum ex vino & aqua paratum accepit. Inde vul-

puerperas sollicitant, ut repetitis conatibus statim post partum procurent secundinarum expulsionem. Sed potest ac-

---

vulnus methodo primæ intentionis curatum est. Et cl. Cotunnius ægram bis, terque de die invisebat, qui ad compescendos dolores adhibebat super abdomen emollientia & anodyna ex aqua chamæmeli & cuniculis exanteratis parata, nec non propinabat ad lochia cienda, (quæ fuere præter propter sufficientia) chamæmeli aquam, & sirupum capillorum veneris, & dabat opportuna alimenta. Lac in mammis ubertim adparuit, & in bonum statum ægram esse constitutam apparebat. Et nos bis quoque de die ægram observabamus, & cum summa animi oblectatione videbamus Victoriam integre sanitati restitutam. Altera gravida similem corporis structuram referebat. Huic tarde nimis nosocomium petenti fœtus jam mortuus erat, & uterus gangræna corripiebatur. Et post mortui fœtus tentatam extractionem cito superioribus diebus moriebatur. Ex hac fideli historia symphisis pubis sectionis cum summa felicitate prima vice Neapoli factæ deduci potest, eam semper institui debere modo adsit necessitas, qua nullo modo extrahi posse fœtum ob

accidere, ut quacumque ex causa aut tota placenta, aut ejus portio in utero remaneat, tunc mulier sequentibus vexatur incommodis. Dolor fortis in imo ventre cum frequenti horripilatione copulatus perdurat, & multa sanguinis copia ab utero non facile sistenda educitur. Febris accendi solet, quæ ab corrupto intra uterum per aeris ingressum relicto corpore, viscus, indeque sanguinem afficiente derivat. Et, per durante in utero secundina, impeditur naturalis ipsius contractio, quocirca discissa per partum vasa contrahi ne- *Quibus signis cognoscitur placentam in utero relictam esse.*

 que-

---

ob angustiam diametri sacro-pubis constat. Hæc operatio, ut dictum est semper cæsarea sectione tutior est. Verum in hac operatione sedulo est advertendum, ut saltem duorum pollicum cum dimidio sit apertura sacro-pubis, cui accedente sufficienti alio spatio, quod per operationem symphisis adquiritur, spatium opportunum habetur pro fœtus extractione, De cæsarea sectione plura scire cupientes. Consulite adolescentes Crants de *Utero rupto*, Heisterum de *Cæsarea operatione*, & Levret de *suite d' observations &c.*

queunt, ex quo hæmorrhagiam pene ad mortem uſque perdurare poſſe dicendum eſt. Et non raro obſervamus aut totam ſecundinam, aut ejus partem corruptam ex utero exire abſque ullo adhibito auxilio. Hæc corruptio accidit, ut jam dictum eſt, propter ingreſſum aeris intra uterum. Et novum non eſt videre, retentam in utero placentam nullam mulieri noxam inferre, & poſt aliquot dies ſine ullo incommodo excerni, quemadmodum ſuis obſervationibus viderat Ryſchius, qui vult chirurgos nullam mulieri ſecundinas in utero gerenti inferre vim; porro eas non multam noxam parere, & facile exturbari poſſe, ait (b).

Quibus auxiliis procurari debet ſecundinarum expulſio.

§. 42. Quando obſtetricans cognoſcit aut totam placentam, aut ejus partem in utero relictam non debet fortiter uterum funiculo umbilicali tenſo diſtrahere, aut digitis irritare; accidit haud raro, ut malis his irritationibus aut uterus extra-

(b) Adverſ. Anat. dec. 2. p. 30. Conſulit. Andr. Paſta de morb. mulier. T. 2. p. 210.

travolvatur, aut magna hæmorrhagia cum fortibus convulsionibus copulata adveniat, sicque de repente puerpera moritur. Hoc in casu tutius consilium est naturæ totum committere opus, & expectare, ut ex se secundina prodeat. Collocanda est in situ horizontali in lecto ægra, & si sanguis ubertim effunditur, sat erit aquam frigidiusculam bibendam concedere, & pulverem chamæmeli ad drachmam unam cum sirupo capillorum veneris copulatum semel iterumque de die propinare. Quando uteri cervix est clausa, & nulla sanguinis gutta educitur, tunc semicubea ex aqua chamæmæli parata institui possunt, & eandem aquam per siphonem in uterum immitti posse ratio suadet. Hac enim ratione emolliri possunt partes, indeque dehiscentes secundinas educere valent. Opiata & emulsiones ex seminibus frigidis cum addito papaverum semine confectæ conveniunt ad arcendos dolores, & temperandas hystericas, si qua sint, convulsiones, a quibus ut plurimum impeditur secundinarum exitus. Et hoc in casu sanguinem semel, iterumque e pedis vena

emissum non purum proficere pluries observavimus. Si autem uterus multum sanguinem, ut dictum est, effuderit, tunc æthyopem vegetabilem in aqua theriacali solutum ad grana decem cochleatim pluries de die sumere debet puerpera. Mammæ fotibus calidis fovendæ sunt ad lac vocandum, & clysteribus emollientibus stricta alvus laxanda est. Si fatiscunt vires hydrogala sumi potest; & periodica, si qua appareat, febris, chinchina expelli debet.

Quæ lochia dicuntur. §. 43. Sed gravia incommoda puerperas manent ab puerperii aut retentione, aut ab ejus nimio fluxu. Nimirum jam omnibus notum est ex discissis vasis placentam cum utero colligantibus post partum nimiam sanguinis quantitatem emitti, quæ in summam imbecillitam puerperam coniicit. Hæc debilitas cum faciei pallore sensim sensimque imminuitur ex ratione, qua paulatim se se contrahentibus vasis deficit ille sanguinis fluxus. Hic sanguis primis diebus est admodum rubicundus, inde subsequentibus diebus ruboris vivacitas deficit, usque dum penitus extingua-

guatur, & non nisi serum, aut lympha ab utero puerperæ emittitur. Nec novum est videre fœtidum, & veluti ichorosum sanguinem ab pudendis educi, quod accidit ex corruptione, quam sanguis concipit in utero per aëris ingressum. Hic fluxus modo copiosi, & rubicundi sanguinis, modo parcioris & defædati, modo penitus serosi humoris dicitur *puerperium*. Hoc fluxu repurgatur tota humorum massa, & uterus ab inquinamentis, quæ gestationis tempore per menstruationis suppressionem concipere debet, liberatur. Nec certus est terminus hujus puerperii in diversis mulieribus, in quibus nec sexus diversitas, nec partus, aut facilis, aut difficilis conditio, sed sola corporis temperies discrimen facit. In plethoricis enim serius, in debilibus, & pituitosis brevius terminatur fluxus. Levret putat non esse definitum puerperii terminum. Ut plurimum vero circa quindecim, vel viginti dies finire lochiorum fluxum adserit in opere pluries laudato p. 135. Id ipsum nos etiam frequenter observavimus. Nisi quod aliquando sine causa manifesta

cessare, aliquando iterum redire sponte lochia experti simus. Verum dantur casus, in quibus aut parce nimis fluunt, aut penitus cessant lochia, tuncque puerperæ in grave vitæ discrimen conjiciuntur. Hujusmodi lochiorum aut suppressionem, aut imminutionem facere solent sequentes causæ. Nimius sanguinis lentor, nimia & intempestiva uterinorum vasorum constrictio possunt morbum parere. Sanguinis viscorem faciunt temperamentum sanguineo-melancholicum, ciborum euchymorum, pinquium, & ægre solubilium, nec non vini, ac liquorum spirituosorum toto graviditatis tempore factus abusus, nimia corporis segnities, ac diuturna cujuscumque veneni præsertim gallici susceptio, mæstitia & his similia. Quando post partum aut nimio frigore aut convulsione, vasa uteri corripiuntur, tunc repente constringuntur, & cessat lochiorum fluxus. Odores svaveolentes potenter uterum puerperæ claudere posse quotidiana docet observatio. Hinc caute advertendum, ne mulieres puerperam invisentes suaveolentibus odoribus infi-

Quibus ex causis fit lochorum suppressio.

cia.

ciantur. Timor, & mæſtitia id ipſum quoque efficiunt. Hiſce animi pathematibus vaſa totius corporis, & potiſſimum uteri conſtringi notiſſima res eſt. Hinc merito prudentes homines a puerperis omnes timoris & mæſtitiæ notas abiiciunt, ne conſtrictis intempeſtive uteri vaſis mulieris mors per citam lochiorum ſuppreſſionem adveniat. Verum febri acuta quacumque ex cauſa adveniente ad claudendum puerperæ uterum non datur potentior cauſa, quemadmodum quotidiana docet obſervatio. Hujus phænomeni ratio ex iis, quæ ſupra indicavimus, innoteſcit. Pedum refrigeratio vaſa uteri quoque conſtringit. Sic mulieres puerperas per ſolum frigidum nudis pedibus ambulantes citam habere lochiorum ſuppreſſionem experientia innoteſcit. Id accidit per magnum conſenſum inter uterum, & pedes extantem.

Enatam lochiorum ſuppreſſionem gravia excipiunt mala.

§. 44. Hiſce aliiſque ex cauſis enatam lochiorum ſuppreſſionem gravia ſequi ſolent mala. Impuro enim miasmate ſanguis inficitur, & juxta varias partium morboſas diſpoſitiones varia aci-

ci-

cidunt mala. Sive quod ſanguis puerperii in utero veniens ad contactum aeris putreſcat; & hoc putridum miasma per vaſa inhalantia uteri in univerſam liquorum maſſam infuſum, cunctos humores circulationi obeundæ deſtinatos peſſundat, ſive quod bonus ſanguis neceſſario per rupta uteri vaſa poſt partum expellendus redeat in corpus & plus juſto vaſa diſtendens æquilibrium fluidorum, & ſolidorum debitum deſtruit, ſive tandem quod paratum in mammis lac, & per uterum tempore puerperii quodammodo educendum, per lochiorum ſuppreſſionem redeat in ſanguinem lacteam cacochymiam generaturum, illud certum eſt puerperii ſuppreſſionem multa & quidem gravia excipere mala. Ex hac cauſa febris acuta ut plurimum accenditur, non raro ob vitiatam cerebri & nervorum œconomiam vertigines, convulſiones, ipſæque epilepſiæ fiunt. Pleuritides, peripneumoniæ, catarrhi ſuffocantes, pertinaces tuſſes, vomicæ citam mortem inferentes excipiunt memoratam ſuppreſſionem lochiorum. Nullum eſt viſcus in

in abdomine situm, in quod non irruit memorata lochiorum retentio, sicque modo jecoris, modo ventriculi, modo lienis, modo intestinorum, & mesenterii, modo renum, & vesicæ urinariæ inflammationes, obstructiones, abscessus, corruptionesque practicis occurrunt tamquam suppressionis lochiorum consectarium. Haud raro mihi datur videre articulationum abscessus lentam febrim, indeque tabem inferentes puerperas per indicatam suppressionem lochiorum corripere, a quibus pene semper interfectæ sunt. Sed uteri inflammatione non datur frequentior morbus, qui eandem suppressionem sequi possit. Nam quando moratur intra uteri vasa puerperii fluxus ob aeris accessum fit humor vitiosus irritandoque utero aptus, sicque aucto a retrourgentis sanguinis impetu inflammatio fieri potest (i). Hujus inflammatio- *Quibus signis cognoscitur uteri inflammatio.*

(i) Hanc uteri inflammationem, quam recentiores vacant *hysteritem* sequentia comitantur symptomata. Dolet admodum uterus, & ad levem pressionem vehementer exacerbatur do-

tionis exitus periculi plenus eſt. Mulieres enim hac inflammatione correptæ, *niſi*

---

dolor, lingua arida, & rubicunda apparet, urinæ flammeæ excernuntur, nec non uteri regio intumeſcere ſolet. Linteum vulnæ labiis adpoſitum ne hilum quidem humectatur. Febris accenditur acuta cum pulſu duro, & vibranti copulata. Frequentes urinam mingendi, & fœces expellendi canatus puerperas hyſterite affectas vexant, interim & urina parca excernitur, & alvus eſt ſtricta. Hæc uteri inflammatio aut reſolvitur, aut ſuppuratur, aut in ſcirrhum, aut in gangrænam abit. Ex adparentibus doloris remiſſione, linguæ humectatione, febris vel ceſſatione, vel remiſſione, urinæ naturali indole, & his ſimilibus ſpes ſubeſt brevi inflammationem reſolutum iri. Quando vero hæc ſymptomata augentur timor eſt aut in abſceſſum, aut in gangrænam inflammationem abire. Gangrænæ præſentiam indicant cadaveroſi halitus e pudendis emiſſus, pulſus celeriores & exiliores facti, linguæ nigredo, & omnimoda doloris ceſſatio cum virium proſtratione, & facie cadaveroſa copulata. Hæc imminentem mortem præſagiunt. Sanguinis repetitæ emiſſiones modo e pedum venis, modo e vulvæ labiis, modo e podice factæ, ſemicubea emollientia bis

niſi ſtatim curentur pluries pereunt (*k*). Et alibi venerandus ſenex ait (*l*). *Uterinæ in ventribus durities cum dolore acute perniciosum*. Timendum eſt itaque ne poſt partum adueniat inflamma-

---

bis terve de die inſtituta, decoctiones chamæmeli aceto parum infectæ per ſiphonem intra pudendas frequenter immiſſæ, clyſteres emollientes pluries de die injecti, & ſuper uteri regionem ſpongiæ aqua malvæ aceto infecta imbutæ ſemper poſitæ, veſicantia ad tibias admota, ſerum lactis depuratiſſimum cum aqua florum ſambuci, & cum nitro depurato conjunctum interne ſumptum, nec non emulſiones ex ſeminibus frigidis cum addito papaverum ſemine paratæ, adveſperaſcente die bibitæ, & his ſimilia uteri inflammationem reſolvere poſſunt. Quod ſi aut in abſceſſum, aut in gangrænam morbus tendit remedia adminiſtranda ſunt, quæ valent apoſtematis repturam efficere, indeque natum ulcus conſolidare. Uteri gangræna omnia artis præſidia ſpernit, & irreparabilem mortem arceſſit.

(k) Verba ſunt Hippocratis de mulier. morb. lib. I. cap. 50.

(l) Coac. prænot. aph. 528.

matio, quam præſagiebat cl. Levret, dum videbat pulſus frequentiam, & celeritatem una-, alterave poſt partum ora non remitti.

Quibus auxiliis ſuppreſſus lochiorum fluxus revocari poteſt.

§. 45. Tantam malorum multitudinem curare poteſt vel ſola ſuppreſſi lochiorum fluxus revocatio. Huic obtinendæ valent phlebotomiæ in pedibus inſtitutæ, & per hirudines in vulvæ labiis celebratæ. Cucurbitæ modo ventoſæ, modo ſcarificatæ femoribus prope vulvam adpoſitæ prodeſſe quoque ſolent. Iniectiones per ſiphonem aquæ chamæmali & papaverum intra uterum pluries da die immiſſæ laudandæ admodum ſunt. Et femoribus veſicantia adplicuiſſe pro revocandis lochiis numquam me pænituit. Clyſteres emollientes ſæpius de die iniiciendi ſunt; & pediluvia mane & ſero inſtituta ſummopere laudantur. Quod ſi cum magnis uteri doloribus, atque convulſionibus morbus copulatur inſeſſus ex aqua decoctione chamæmeli, & althææ infecta parati ſemel, iterum, tertio de die ſunt inſtituendi. Internorum remediorum uſus ea cum fiducia eſt laudandus,

quo-

quoniam scilicet his & impetus humorum ad uterum augetur, & eorundem crassities densitasque solvetur. Serum lactis depuratissimum cum addita decoctione chamæmeli, infusum ligni quassiæ, flores salis ammoniaci, & mirrham summopere laudant cordatiores practici. At in hisce exhibendis debita est methodus servanda. Quando uterus admodum dolet remedia stimulantia sunt semper arcenda, ne aucto stimulo visceris inflammatio arcessatur. In hoc casu æthyopem vegetabilem ad grana decem mane & sero propinare soleo, & tota die serum lactis decoctione chamæmeli infectum hibendum concedo, & emollientia fomenta super uterum pene semper instituo, nec non aquas emollientes intra pudendas, & in anum per siphonem pluries de die iniicio. Hisce omnibus præcedit repetita sanguinis missio eo modo, quo nuper indigitavimus, celebrata. Si vero nullus inflammationis est metus, tunc convenit salem ammoniacum cum infuso ligni quassiæ mane & sero propinare. Immo mihi in usu est tres ejusdem

salis

ſalis drachmas in decem chartulas dividere, & harum unam omni bihorio propinare. In harum chartularum intervallo aut quaſſiæ, aut chamæmeli, aut ſabinæ, aut ariſtolochiæ rotundæ, aut id genus aliarum plantarum levem infuſionem puerperæ bibendam concedo. Si adeſt acuta febris cum primarum viarum ſordibus, & cum magno humorum lentore copulata, poſt repetita emetica, & levia eccoprotica exhibita ex ſalibus catharticis, & inciſivis præcipue elicita, balneorum frigidiuſculorum, nec non chinchinæ cum floribus ſalis ammoniaci copulatæ uſum præſcribo. Vidi frequenter lochiorum fluxum revocari, ceſſata, aut ſaltem imminuta febri acuta. Si haec adhibita ſint ræmedia, & interim nullus appareat puerperii reditus, tunc non eſt neque multum irritantibus utendum, neque de eventu deſperandum. *Tempori enim tamquam medicorum principi res omnis eſt committenda* (m). Accidit

(m) Verba ſunt Cl. Sydenhamii in diſſ. epiſt. p. 530.

cidit aliquando ut aut, obortis criticis sudoribus, aut adveniente critica diarrhoea, enarum grave malum propter puerperii suppressionem feliciter curetur Viderunt enim Sydenhamius (*n*), Hoffmannus (*o*), Boerhavius, & Swietenus (*p*), nosque pariter vidimus acuto morbo puerperas ob lochiorum suppressionem detentas per supervenientes universales, & criticos sudores, nec non apparentem salutarem diarrhoeam integre cito curari. Hæc ante oculos habere debetis, adolescentes, praxim exercitaturi, ut hos salutares sudores, nec non criticam hanc diarrhoeam opportuno in tempore promovere valeatis. Quod si aut sponte, aut arte adhibita, prodeunt sudores, & solvitur alvus, atque ex his evacuationibus nil puerpera sublevatur, immo in pessum ruit, tunc symptomaticas, &

M per-

(n) Loc. cit.

(*o*) Medic. System. ration: T. IV. Sect. 2. Cap. *X*.

(p) In Comm. Aph. Boerha: 1331. T.VIII. p. 256.

perniciosas has evacuationes compescere debetis, aliter brevi in tempore extinguitur ægra. Harum præscriptionum veritatem vos ipsa docebit praxis.

Quomodo nimius lochiorum fluxus est curandus.

§. 46. Quod si neque supprimitur, neque imminuitur, sed nimis augetur lochiorum fluxus, tunc in contrarium morbum puerpera ruit. Laborat enim hæmorrhagia uteri ob partum advenientе. Hujusmodi hæmorrhagia aut ex nimia sanguinis fluiditate, aut ex uteri vitio derivat. Ut plurimum accidit ex opportuna, & sensim facta vasorum uteri constrictione paulatim imminui lochiorum fluxum. Diximus, enim uteri vasa post fœtus & secundinarum expulsionem nimiam sanguinis quantitatem hiantia effundere, Sed paulatim contrahi debent, & tandem ad naturalem diametrum accedunt, qua sensim sensimque imminuitur usque dum penitus cessat lochiorum fluxus. Si vero aut ob nimiam quam contraxerint atoniam, aut ob extranei corporis in utero commorantis præsentiam, aut ob aliam quamcumque causam hæc vasa angustari & claudi non possunt,

tunc

tunc nimius profusus que est lochiorum fluxus, qui nisi cohibetur in grave vitæ discrimen ægram coniicit. Neque denegandum posse aliquando nimiam sanguinis acrimoniam, & fluiditatem morbum efficere. Summus faciei pallor, nimia corporis debilitas, nausea, & fastidium alimentorum, eorundemque vel optimorum tarda & difficilis coctio, restricta alvus, pedum oedemata, mammarum procidentia, inq e ipis aut nulla, aut parca lactis generatio, vertigines, convulsionesque ex inanitione factæ, syncopes frequentes, pulsuum fatuitas, exilitasque, & alia his similia symptomata nimium lochiorum fluxum comitari solent. Horum omnium rationem afferre vetat stricta institutionum methodus, eaque parum vobis meditantibus innotescere potest. Quando hic morbus est curandus, sedulo advertendum, ut extraneum in utero situm corpus expellatur, quod obtinebitur ex iis remediis, quæ indicata sunt §. 42. Ceterum sequenti methodo nimium lochiorum fluxum compescere potestis, adolescentes. Animi corporisque

que quies ſtatim eſt imperanda. Maniluvia frequenter ſunt adhibenda, & optimum erit de manus vena ſanguinem mittere. Fotus emollientes ſuper mammas adpoſiti optimi ſunt, & cucurbitulas ſuper ipſas admotas ſummopere laudant practici. *Si mulieri menſtrua velis ſiſtere cucurbitam magnam mammis admove* (q). Verum hæc non niſi ſumma cautione ſunt præſcribenda, ne penitus ceſſent lochia, & in alium priorem morbum incidat puerpera. Lac eſt propinandum, immo ipſa lactea diæta ſummopere laudatur. Opium thebaicum ſemel iterumque de die ad granum unum propinatum optimum remedium evadere ſolet. Nonnulli commendant ſpiritus acidos minerales ad temperandam ſanguinis diſſolutionem. Sed iterum moneamus vos oportet, adoleſcentes, ut indicata remedia in gravi, & periculoſo lochiorum fluxu tantum præſcribatis. Alio enim in caſu hordei decoctionem, lac cum aqua nym-

(q) Hippocr. Aphor. eſt 50. ſection. V.

nymphææ copulatum, mediocrem alui ſolutionem potiſſimum per clyſteres procuratam, chinchinæ & ſimarhoubæ decoctionem parum frigefactam, ſummam corporis, animique quietem, & his ſimilia leviſſima remedia valere immodicum puerperii fluxum compeſcere quotidiana docemur experientia. Si adeſt febris, a cujus invaſione fluxus ſemper augetur, tunc curandæ febri tota eſt dirigenda medicina iis remediis antifebrilibus, quæ utero nimis fluenti nocere non poſſunt. Poſtquam tentabunda manu præſcripta ſunt emetica, chinchina cum opii parca doſi copulata, & partitis vicibus propinata, nec non hydrogala pluries de die epota omnem implere paginam ſolent.

§. 47. Nec minora incommoda patiuntur puerperæ propter lactis in mammis generationem. Nimirum ex phyſiologicis innoteſcit poſt uteri a partu contractionem magnam ſanguinis quantitatem in mammis conrivare, & ab corporis mammillaris multa diſtenſione lac parari, quo per duos treſue annos enutritur infans. Et cum cl. *Quæ patiuntur mala puerperæ a lactatione.*

 aucto-

auctoribus præsertim Swieteno (*r*) convenimus aliquid lactis tempore graviditatis quoque in mammis generari, cujus aliqua portio præsertim ultimo gestationis tempore, in uterum venit, alendoque foetui destinatur. Et post partum, si clauditur uterus, cessatque puerperii fluxus, inter humores, qui sanguinem inficere solent, hæc lactea cacochymia per constrictionem vasorum uteri non expurgata recensenda est. Sed semper dicendum est magnam lactis quantitatem post partum generari. Quando itaque venit in mammas multa hujus sanguinis quantitatas, distenduntur admodum sinus lactiferi, & nervi quandam patiuntur distractionem, a qua & dolor, & pauca febris excitatur, quam vocant *febrim lacteam*, cujus nulla ratio est habenda. Post enim duos tresve a lactis præparatione dies sponte cessare solet. Neque pertimescenda est enatæ fe-

Febris lactea.

(r) T. VIII. Comment. aphor. Boerh. n. 1329. p. 230.

febris ultra debitum duratio, si per hanc febrim uterus puerperii tempore repurgatur. Nam per enatas leves suppurationes recedunt ab utero inquinamenta, & sordes, sicque uterus purus sensim sensimque factus ad naturalem sui statum redit. Ita observamus purisimiles, & fætidas materias ab pudendis puerperæ aliquando exire, a quarum materiarum eductione raro a febri, licet parva dissociatur. Sed haud raro accidit, ut aut ob magnam lactis præparati copiam, aut, ob ejusdem summam crassitiem, aut ob naturalem lactifeorum sifungulorum angustiam, aut ob aliam quamcumque causam præparatum in mammis lac non venit extra papillam pro suctione infantis nec a venis inhalantibus hauritur, nec per vasa lymphatica transit in sanguinem, tunc mora spissius densiusque factum propter aquearum particularum difflationem gravia parere potest incommoda. Distendit, irritatque admodum mammillarum corpus, facitque tumorem durum, dolentem, non sine febri puerperas vexantem. Et haud raro ac-

Tumor lacteus mammarum.

cidit, ut magnæ irritationi accedens auctus retrourgentium globulorum sanguinis impetus, oriatur inflammatio, quæ ut plurimum in abscessum transit; quo mammarum naturalis status admodum vitiatur. Et non raro indicata lactis congestio in durum & longævum tumorem commutatur, cujus reliquiæ per menses & forsan annos remanent in mammis. Nec papillæ suo morbo carent. A nimio enim lactis confluxu, tenerrima earum cutis rumpitur, & dolentissimæ fiunt *rhagades*, quarum dolor a pueri suctione nimis augeri solet.

Quomodo lacteus tumor curari potest

§. 48. Solvendo lacteo memorato tumori valent frequentes fotus tepidæ aquæ, aceto infectæ super mammas adpositi, & constans per pueri suctionem lactis eductio. Quando enim fluit extra papillas lac raro inflammatio, aut alius periculosus morbus mammas adoritur. Si adsunt inflammationis indicia sanguis semel iterumque est mittendus, nec non aquæ florum sambuci cum sero depurato copulatæ haustus frequentes sunt puerperæ concedendi. Et utile quoque

que erit hos hauſtus infectos nitro depurato, aut ſale polychreſto reddere efficaciores. Diæta per paucos dies eſt imperanda, chyſteres emollientes ſunt iniiciendi, & numquam ab fotuum ex aqua ſambuci cum aceto copulata paratorum ſuper mammas admotione ceſſandum eſt. Si nulla reſolutionis nota hiſce adhibitis oppareat, & videtur tumor in ſuppurationem tendere, hæc eſt per cataplaſmatis malvæ adpoſitionem facilitanda, & promovenda ſuppuratio, qua facta, lanceola, aut biſtorino obſceſſus eſt aperiendus, indeque, ut ulcus curandus. Si enatus eſt durus tumor hic debet ad reſolutionem perduci per jugem oxycrati adplicationem, & per frequens aquæ ſtillicidium ſuper mammas factum. Enatas in papillis rhagades curare ſolent medici frequenti adplicatione vini mirrhati, vel jugi aquæ ſambuci ſalis prunellæ ſolutione factæ efficacioris lotione. Gummi arabicæ ſolutionem non parum profeciſſe vidi. Ceterum non deeſt nec medicus, nec muliercula, quæ pro pupillæ mammarum rhagadarum dolentium curatio-

ne

ne ſuum non laudat ſpecificum. Superiori menſe curabatur nobilis juvenis primipara profundas in utraque mammarum papilla rhagades habens frequenti adplicatione decoctionis ligni guajaci cum ſpiritu ſalis dulcis copulatæ. Hactenus de Mulierum morbis. Nam uteri hydropem, obſtructionem, ulcuſque ex iis, quæ in praxi deſcribenda adnotavimus & cognoſcere, & curare facile poteſtis adoleſcentes. Procedamus modo ad indicandos puerorum morbos.

DE MORBIS PUERORUM PRÆLECTIONES

ARTIC. I.

Regimen nuper nati infantis.

§. 1. DUm infans eſt in lucem editus novas experitur mutationes. Aeris ambientis, & durarum rerum attactum ſubſtinet. Pulmonum dilatationem habet, per quos totus ſanguis ab uno corde ad alterum fertur. Agit diaphragma, & nova per jecur humorum circulatio peragitur. Tantæ mutationes vim quamdam tenerrimo infanti faciunt. Nil itaque mirum ſi novus hic aeris hoſpes fletu indicat ſe in lacrymarum vallem veniſſe. Neque deligandus eſt funiculus umbilicalis, niſi certo conſtet puerulum reſpiraſſe. Si mucoſæ ſordes nares, & os occupant, diligenti obſtetricantis manu ſunt ab-

Veniens recenter in lucem infans quomodo tractari debet.

abſtergendæ, ut tranſituro in pectus aeri facilis via pateat. Quando funiculus eſt ligandus ſedulo advertendum, ſi ecchymoſis faciem, aut aliam corporis partem occupat. Hanc ſanant paucæ ſanguinis guttæ e funiculo eductæ. Poſt hæc funiculus triplicato, vel quatruplicato filo per ceram ducto ad diſtantiam duorum digitorum ab umbilico ligatur. Et ligatura non tam fortis facienda eſt, ne ſecentur tunicæ funiculi, neque tam debilis ſit oportet ut metus ſanguinis effuſionis abſit. Quod ſi in lucem veniat fœtus, cui per quamcumque cauſam corroſus ſit in umbilico funiculus ita, ut deligari nequeat, tunc admota duplicata plumaceola levi pulvere aſtringenti imbuta, nec non adplicato tenaci emplaſtro, prudenti faſcia ſuperpoſita, locus cuſtodiendus eſt ne exeat ſanguis. Hoc peracto ſtatim in balneo aqua tepidiuſcula & vino parato immergendus eſt infans, ſicque diligenti manu eſt tota cutis abluenda ab ſordibus, quas ipſe contraxerat dum amnii liquoris contactum in utero ſubſtinuit. Peracta corporis proba abſterſione

ne obvolui debet corpus tenuibus pannis lineis cum superaddito paulo graviori involucro, & ablegato improbo fasciarum more (s), ita laxus & expe-

Abiiciendus est fasciarum usus.

(s) Mirum quantum sint plenæ præjudiciis mulierculæ fascias tenerrimo infantulo paraturæ. Credunt non posse rectam, & opportunam servari in puerulo machinam, neque ossa recte crescere valere, nisi extensis manibus, & pedibus fortiter constringatur pueri corpus in fascia, sicque ipse quemcumque flexionis motum facere non valeat. At multæ sunt miseriæ, quas patitur infans ob malam fasciarum administrationem. Distorquentur enim ossa articulationum, spina curvatur, pectus angustatur, alioque chronico morbo afficiuntur solidæ partes, quibus malis ignorantiæ muliercularum pænas toto vitæ tempore miser homo patitur. Frequentissimam hominum corporum distorsionem, & vitæ imbecillitatem nostris in regionibus fasciis male adhibitis acceptam referre originem cordatiores medici credunt. Populi, quibus nullus est fasciarum usus, sunt semper nostris hominibus robustiores, & corpora habent rectiora, vitamque ducunt longæviorem. Natura sibi ipsi sufficiens est, nec ullo habet opus artificio ad reddendam machinam omnibus numeris absolutam. Bruta nullo artificio crescunt optimam partium confor-

peditus in lecto, aut in cuna est infans collocandus. Dum in balneo memo-

---

formationem habitura. Optimum consilium est tenerum infantis corpus collocare in molli lecto, aut in cuna, & tantum corpus pannis obtegere, quantum sufficit, ut ab aeris injuriis arceatur. In aere libero, & undique perflato enutriri debet infans, & quantum fieri potest, debet arceri ab inquinamentis, quæ aer suscipit ab hominibus, & animalibus viventibus. Misera est sors puerulorum in nosocomiis expositorum, quorum brevis vita est & propter alimenti defectum, & propter aerem impurum a multis viventium in angusto loco vaporibus fœdatum. Neque stricta debet esse transpirationis custodia. Optimum erit totum corpus infantis ita atmosphæræ aptare, ut reliquæ cutis partes manus, & faciei conditionem obtineant. Utile quoque erit bis de die cutem infantis simplici aqua abluere, ne ab urinæ & fæcum sordibus nimis defædatur. Abiiciendus, & absolute damnandus mos ille est, quo infans nimia cunæ agitatione fortiter commovetur. Cerebrum, & nervi mollissimi ab improba hac agitatione pessime afficiuntur, quo & stupiditati, & convulsionibus infantes postea subiiciuntur. Cetera ad optimum infantis regimen mox infra descripta invenietis.

morato jacet infans ſedulo inquiri debet tota ejus machina. Si adſunt tumores, ſi factæ ſint luxationes, ſi viæ urinæ & fæcum ſint patulæ, ſi lingua eſt frænulo ita legata, ut pro ſuctione impar evadat. Tunc lege artis & tumores, & luxationes, & clauſæ viæ urinæ, ac fæcum, ſi qua ſint, & curandæ & aperiendæ ſunt in hiſce tenerrimis corporibus, & probe recidendum eſt linguæ frænulum, ſi nimis conſtrictam, & ligatam in ore eam teneat. Quando adeſt pellicula inteſtini recti finem obcœcans hæc eſt abſcindenda, & ſic patet exeuntibus fæcibus anus. Si vero deficit hic finis, tunc certe moritur infans (*t*).

Meconii eductio eſt procuranda & lactatio probe eſt inſtituenda.

§. 2. Paulo poſt ortum fœtus ope reſpirationis, qua diaphragma comprimit

(t) Conſulite La Motte trait des accouch. liv. 1. Peu pratique des accouch. liv. 2. chap. 1. Levret l'art des accouch. p. 210., Acad. de Chirurg. T. 1., Petit ibid. p. 378., atque alios graviſſimos auctores, apud quos regulæ occurrunt, quibus ſepultus anus puerulorum inveniri, & aperiri poteſt.

mit viſcera abdominis, nigram tenacemque educit ab ano materiem, quæ ob ſimilitudinem ſucci papaveris inſpiſſati a veteribus dicta eſt Μηκώνιον *meconion*. Sed & non raro pueri tarde nimis hujuſmodi materiam expellunt. Hinc fit, ut ab irritatione craſſis inteſtinis ab retento meconio facta irrequietus inſomnis, convulſuſque infans evadat. Huic materiæ expellendæ aptavit natura primum matris lac, quod inſtar ſeri reſolvit, lubricatque totum inteſtinorum tractum tenaci & viſcida ſemper cruſta obductum. Hinc male puerperæ ab indoctis mulierculis ſuaſæ hoc primum abiiciunt tamquam noxium, aut ſaltem inutile lac. Quod ſi poſt ſumptum *choloſtrum* (ſic vocatur hoc primum præparatum lac) non exit meconium, tunc propinare ſolent medici unum, alterumque cochleare ſirupi de cichoræa Nicolai cum aqua melle, & pauxillo ſaponis infecta, iniciuntque clyſteres per exilem ſiphonem paratos, &c. Poſt eductum meconium una alterave a partu die mammis matris aptandus eſt infans, ut per ſuctionem excipiat op-

opportunum ab illa matre alimentum, a qua novem mensium spatio in utero clausus fuit enutritus. Neque, nisi intercedente gravi necessitate, ab salubri matris lacte arceri debet infans. Piaculum semper est enim absque ulla necessitate alieno lacte filium enutriri sinere. Si adest legitima causa, tunc solum id permitti potest. Novi plures matronas cetoroquin honestas, & bonis ornatas moribus, quæ, ut lactationis incommada effugirent, alienis nutricibus filios alendos committunt. Si puerpera convulsionibus subiecta est, si scorbutica labe vexatur, si tabe confecta est, si asthmate, aut profunda viscerum obstructione laborat, si paucum generat lac, & hoc paucum generatum lac non est alendo puero sufficiens, si gravida iterum evadit mulier, si mammarum organa non habet pro pueri suctione opportuna &c., tunc infans alieno sugendo lacti est destinandus (*u*). Pueri

 la-

(u) Ipsis feris & belluis crudelior censenda est illa mater, quæ sine necessitate filium ab suis

lactatio sequentibus regulis gubernari debet. Primis temporibus pauca lactis quantitas, eaque partitis vicibus puero ex-

---

suis uberibus arcet. Naturæ lege sancitum est matris lacte enutriri debere filium, cujus generationem, evolutionem, nutritionem, perfectionemque in utero ipsa fecit. Convenit enim, ut filius, qui nondum sibi ipsi alendo sufficiens est, indigetque aliena ope, eo alimento enutriatur, quod concruit cum illo, quod novem mensium spatio in utero obtinuit. Hoc est sane proprium matris lac. Sic puer enutritus hoc lacte sanitatem, mores, virtutesque parentum gerit. Quando improbo, & semper damnando statuto mater filium ab suis uberibus arcet, jam sibi ipsi, & filio nocet. Nimirum præter gravia incommoda, quibus mammæ ob diuturnam lactis moram subiiciuntur, mulieres propter lacteam cacochymiam in sanguine genitam plures patiuntur morbos & chronicos, & acutos, a quibus haud raro ipsas interfici quotidiana ostendit experientia. Filio nocet ex ratione, qua constat ut plurimum non convenire puero alienum lac, unde brevis & ærumnosa evadit ejus vita. Et novis, alienisque moribus filius imbutus solet esse genitoribus tristitiæ & infelicitati. Utinam & mulieres voluptatis sen-

su

exhibenda eſt. Factus paulo grandior majorem lactis quantitatem expoſcit. Non debet ejus ſtomachus ſemper lacte re-

---

ſu ductæ ad filios generandos ratione, & prudentia pariter ducantur ad filios proprio lacte alendos. Sciant tandem proprii corporis partem eſſe illum filium, quem perdere amant. Ceterum ſive neceſſitate, ſive voluntate accidit, ut nutrix arceſſenda ſit, ipſam ſequentibus conditionibus eligere debetis, adoleſcentes. Faciei color ſit aut ameno-roſeus, aut albo-fuſcus. Ætas ejus neque infra vigeſimum, neque ſupra trigeſimum ſit. Optime debet eſſe conſtructum pectus, & mammæ nec multum amplæ & craſſæ, nec multum exiles ſint. Laudabilem enim toroſitatem ſervantes debitam lactis quantitatem alendo puero opportunam ſervant. Papillam habere debent nec multum amplam, nec multum parvam. Hujuſmodi enim papilla ori infentis aptari poteſt. Nutrix bonis ſit ornata moribus, nec pathematibus admodum ſubiici debet. Lætitiam in animo ſemper habeat oportet. Nullo ſit maculata morbo, præſertim cutaneo, & ab venereæ luis contagio ſemper immunis eſſe debuit. Non ſit primipara & poſt diem a partu quadrageſimum arceſſenda eſt. Utatur cibis nec admodum tenuibus, nec admodum craſſis. Olera, fru-

repleri, ut temperetur a fletu. Non ſemper fletus infantis famis indicium eſt. Ut plurimum pendet ab irritationibus, quas

---

fructus horæos, panatallas, carnes vitulinas aſſas, ova recentia, jura carnium animalium recenter mactatorum, piſciculos ſaſſatiles & hos ſimiles obeundæ digeſtioni opportunos ſeligere convenit cibos. Motum modo pedeſtri itinere, modo curru temperatum inſtituere debet nutrix. Somnum capiat tantum quantum ſanitati ſuæ, & generando lacti convenit. Salubri in aere, & in domo ampla omni fœtore, & impura exhalatione orbata vivere debet. Si alvus admodum eſt ſtricta clyſteribus & levibus eccoproticis aliquando laxari debet. A veneris exercitio non penitus abhorrere debet nutrix. Nam nec puero, nec nutrici venus nocet. Neapolitanæ Matronæ, quæ proprio lacte alunt filios, & ad perfectam ducunt vitæ conditionem cum propriis maritis quotidie coeunt, nec ſibi ipſi, nec filio obſunt. Nutrices prætio in magnatorum, & nobilium domibus receptæ ne filiis noceant oblectamentis, & illecebris alliciuntur, quibus frequenter venerem appetunt, a cujus privatione ita mæſtæ evadunt, ut lac mutatum, ac degeneratum infanti exhibeant; & ita horum ſanitas labefactatur. Neque dica-

quas tenero inteſtino creat indigeſtum lac. Non raro propter malam faſciæ poſitionem in diuturnum ruunt fletum

---

catur uſu veneris accidere poſſe nutricis graviditatem, & ita evadere lac alendo puero impar; nam præterquamquod non ſemper evadit mulier gravida uſu veneris dum ejus mammæ multo abundant lacte, quo puerum nutricat, & uterus penitus eſt menſtruatione orbatus; ſed detur, quod prægnans fiat, mutatur nutrix vetus, & nova opportunior ſeligetur. Semper pejor ſtatus infantis eſt, dum nutrimentum ſumit a nutrice, cujus per tacitam animi mæſtitiam admodum degeneratum ſit lac, quam ſi ob nutricum mutationem manifeſta lactis inſalubritas ab ipſo arceatur. Boni lactis color albus, nullus odor, dulcis ſapor eſſe debet. Ejus conſiſtentia ſit temperata, ſcilicet lac nec multum craſſum, nec multum tenue eſſe convenit. Quando lactis guttula ſuper unguem poſita temperate fluit, tunc opportuna eſt ejus conditio. Ceterum nimis fluidum lac cibi craſſiores, veluti caro, jura, ova, piſces, &c. reddunt craſſius; & olera, fructus horæi, panatellæ &c. denſius lac ſolvunt. Verum experientia didici, nullum lac ex ſola viſione niſi uſus ejus intercedit, opportunum alendo puero ſtatui debet. Nam non raro quod ap-

pueri, a quo non quieſcunt, niſi, ſolutis faſciis, membrorum libertatem obtineant. Quando urinæ & fæcum ſordibus coinquinata cutis irritatur fletu a matribus expoſcunt pueri, ut mundentur. His quotidiana aquæ ablutio ſummopere prodeſt. Et pannorum ac faſciarum frequens renovatio non parum confert. Quando nimio lacte ſtomachus pueri ſcatet, bonum eſt aquæ fontis cochlearia multa repetitis vicibus ei dare, ut factum fluidius lac facile digeri poſſit. Ventris frequentes ſolutiones, virides admodum fæces, febres pene continuæ, corporis conſumptio, enatæ convulſiones, perennes vigiliæ, corporis inquies, & his ſimilia indicant lac non conferre puero. Quocirca ſi, adhibitis quibusdam auxiliis, nullum levamen

---

paret optimum lac infanti nocet, & quod videtur malum prodeſt. Noſtrum quotidianum effatum eſt unicam attentionem medici eſſe debere in ſeligenda nutrice qualitatibus nuper notatis prædita, & quoad lactis conditionem non niſi uſu, & experientia ſtatui poſſe.

men ſentit puer, ſtatim cogitandum eſt ad lac ipſum mutandum. Nec novum eſt videre ſecundám, tertiam, quartamque nutricem non eſſe alendo puero opportunam. Haud raro accidit puero humanum lac non conferre, tuncque optimum eſt ipſum enutrire brutorum ſolo lacte. Et, facta veluti artificiali mamma, ejus ori exhibendum eſt lac brutorum recens eductum. Semper panatellis utilius eſt indicatum brutorum lac; & vidi non raro pueros ad perfectum machinæ incrementum pervenire ſolo brutorum lactis uſu. Panatellæ, niſi completo anno, non ſunt infanti concedendæ. Nimis anticipatus harum uſus ſolet parere obſtructiones, conſummationes, & febres, quæ fiunt ab indigeſtione ciborum tenerri[illegible]o ventriculo pueri inconvenientium. Damnandus eſt mos opiata querulo infanti ſemper exhibendi. His enim ſenſus obſtupeſcere ſolent, & advocantur convulſiones, a quibus interficitur infans. In datis morbis, & præcipue in dolorum caſibus tantum concedendum eſſe opium tentabunda manu ſuadet prudentia. Quo pueri adultiores

 fiunt,

fiunt, eo ſolidiori cibo indigent. Cibus hujuſmodi cum lactatione eo ſenſu convenit, quo ſcilicet ipſe exhibetur in horis mediis ſuctionis lactis. Sic accidit, ut adveniente ablactationis tempore reperiatur puer in ſtatu habendæ opportunæ nutritionis ab ſolo ciborum uſu. Circa ſecundum ætatis annum ceſſare ſolet lactatio, & primi omnes dentes in ore enati ſunt, & tunc puer incipit facere ſuis pedibus greſſus licet dubios, & incompletos ex ratione, qua nondum oſſa debitam firmitatem pro machinæ ſubſtentatione obtinuerint. Veſtium uſus pro varia ætate variare debet. Semper damnandæ & abiiciendæ ſunt loricæ ex oſſibus, aut aliis duris corporibus contextæ. His enim anguſtatur pectoris cavitas, ſpina curvatur, & vitæ ærumnis plenæ nec non breviſſimæ ducendæ deſtinatur puer. Diuturni puerorum fletus non ſunt compeſcendi verberibus, & excitatis forribus timoris ideis. Hiſce enim ſtupidiores evandunt ſenſus, & pueri ſummis imbuti præjudiciis inutiles ſocietati homines evadunt. Optimum conſilium eſt irrequic-

quietos, & diu querulos pueros tempe-rare modo inventis bellariis ejus oculis admotis, modo ſuavi oble&amento, modo pro viſione earum rerum, quæ ſunt ei chariores, modo alia prudenti methodo. Ceterum ſciendum eſt hac in ætate, ſcilicet circa tertium annum ob cordis ſummam irritabilitatem, ob magnam nervorum ſenſibilitatem, obque multam fluidi nervei quantitatem, debent pueri irrequietis ſemper motibus agitari, quos compeſcere non debet ſemper ſagax pedagogus. Utinam mulieres, quibus hic puerorum ſtatus ut plurimum eſt commiſſus, methodum rectam ſcirent educandorum probe filiorum, certe ſocietas hominum inutilibus, & forſan noxiis individuis non abundaret (*x*).

AR-

(x) Non animus mihi eſt de *phyſica puerorum educatione* dicere; ſtatutos enim inſtitutionum limites excederem. Plurimi clariſſimi occurrunt auctores, qui de hac re exacte nimis ſcripſerunt. Inter hos merentur laudari Maupertuiſius, Condillachius, Rullenius, &

ARTICULUS II.

Infantilis Epilepsia.

Cur pueri epilepsia facillime corripiantur.

§. III. MAgno cerebro, habita corporis proportione, magna nervorum mollitie, sensibilitate, ac irritabilitate summa gaudere infantes omnes nos scimus. Ex quo fit, ut vel levissimæ irritantes causæ eos faciant subjectos convulsionibus, quæ eo sensu ad epilepsiæ conditionem accedunt, quoniam scilicet & per periodos invadant, & cum sensuum internorum, externorum-

& Ballexerd. Maria Teresia Arezo nobilium mulierum Neapolitanarum decus, & ornamentum mihi frequenter legere solet ea, quæ in scriptis de physica puerorum educatione retulit. Sancte testari possum ea & eleganti stylo, quo scripta sunt, & profundiori doctrina, qua scatent ab omnibus legi debere. Utinam & in lucem Nobilissimæ juvenis de physica puerorum educatione nova excogitata prodirent. Hactenus de regimine infantis nuper nati. Nostra interest puerorum morbos enarrare.

rumque abolitione, nec non cum multa ſpuma ab ore apparente copulatæ obſerventur. Hæc epilepſia altera eſt idiopathica, altera ſympathica. Quando ſcilicet irritans cauſa ipſum adoritur cerebrum idiopathicam, quando extra cerebrum veluti in ore, in ventriculo, in inteſtinis ipſa agit ſympathicam facit infantium epilepſiam. Sive una, ſive altera excitanda eſt epilepſia, ſemper verum eſt, per paroxyſmos eam ludere ſolere, cujus paroxyſmi reditus eo ſunt frequentiores vehementioreſque, quo cauſa irritans fortior inemendabiliorque eſt, quo nervi molliores ſunt, quo ſuæ origini infans proximior eſt. Quando invadendus eſt morbus infans ultra ſolitum fit gemebundus, irrequietus. Oris labia frequenter agitantur, ſtridentque dentes, & infantis facies volatili veluti macula rubra inficitur. Pulſus obſervantur crebriores, reſtrictioreſque, & reſpiratio quodammodo ſuſpirioſa evadit. Oculi mobiliores, & pellucidiores apparent. Poſt hæc paroxyſmus irrumpit, in quo convulſivis undique motibus infantes agitantur, & cum

Quibus ſymptomatibus ludit infantilis epilepſia.

cum sensuum internorum, esternorumque amissione multa spumæ quantitas ab ore educitur. Nulla est pars & interna & externa, quæ maximis non agitatur convulsionibus. Superioribus annis vidi immanibus convulsionibus epilepticis puerulum ita vexatum, ut dexter oculus ab sua orbita tanto cum impetu divulsus proximo lectuli parieti allideret ita, ut quassatus remaneret. Et infans post unam, alteramque tanti morbi invasionem obire solet. Nec raro accidit infantulum post cessatum epilepticum paroxysmum videre magno sopore correptum, cui stertorosa accedit respiratio, & post paucum temporis intervallum apoplecticus moritur. Frequens ab epilepsia in apoplexium transitus est.

Quænam sunt infantilis epilepsiæ causæ. §. 4. Signa, quibus epilepsia infantilis cognoscitur non obscura sunt. At hujus morbi materialis causa haud patens esse solet. Quando ab materno sanguine labes hauritur, qua epilepsia in infante excitatur, non nota causa moritur convulsus infans. Superiori hebdomada famuli mei infans epilepticus mo-

moriebatur poſt primam ab ortu hebdomadam. Summam adhibui diligentiam ut morbi cauſam inveſtigarem, nec aliud cognovi, niſi ab muliere temulenta, vinoſa, & impuro ſanguine prædita enatum infantem ſui morbi, indeque mortis cauſam ab matris ſanguine accipere. Verum & lactis degeneratio epilepſiam ut plurimum parere ſolet. Irritatis enim ab hoc lacte vitiato ventriculi, & inteſtinorum nervis mollibus, cerebroque communicatus affectus vehementiſſimæ conſtituuntur convulſiones. Cognoſcit medicus hanc eſſe morbi cauſam, dum vidit halitum acidum ab ore infantis educi, & fæces æruginoſas ac fluxiles ab ano excerni, & viredes materias vomitu eductas. Quando morbum facit morbillare, varioloſum, ſcarlatinum, aut id genus aliud exanthematicum venenum, cujus præſentiam cognoſcetis ex iis, quæ alibi, ubi de varioloſa, & morbilloſa febri actum eſt, indigitavimus. Illud certum eſt convulſiones puerorum ſæviores eſſe in retropulſione exanthematici veneni. Et ex meconii retentione quo-

quoque fieri epilepſiam infantilem certum eſt. Quando poſt unum, alterumve a nativitate diem non excernitur meconium, & apparent convulſiones, abſque dubio eas ab irritatione meconii inteſtinis facta derivare dicendum eſt. Cruſtæ lacteæ, aut tineæ acres materies retropulſæ poſſunt ipſum adoriri cerebrum, & idiopathicam facere epilepſiam. Nec raro eundem morbum parit ſcabiei retropulſio. Difficilis dentitio, vermes in inteſtinis ſtabulantes quoque convulſiones epilepticas in puero excitant. De his morbis in peculiari articulo dicentes ſigna exponemus, quibus cognoſcere poteſtis, adoleſcentes, puerorum convulſiones ab iiſdem fieri morbis. Heic tantum adnotamus ut plurimum vermes generari non ſolere in pueris ante ciborum eſum. Et febrilis epilepſiæ exemplum haud rarum in medicina occurrit. Hujus exiſtentiam declarat curſus febris, quem ſequitur epilepſia, ita ut augetur, aucta, imminuitur, imminuta, ceſſat, ceſſante febri. Et profuſam diarrhoeam in pueris tamquam ab inanitione convulſiones

nes epilepticas facere posse docet observatio. Tandem ab aphtis oris, & oesophagi, nec non a lapide intra vesicam urinariam genito infantilem epilepsiam quoque produci decet cl. Auctor (y).

§. 5. Raro ab hoc morbo correpti infantes liberantur. Tenerrimum vitæ stamen facile rumpitur ab tantis vehementibus corporis agitationibus. Quando immanibus convulsionibus torquetur puer satis est, ut aliquod obstaculum in ore inducatur, præsertim si proditi sint dentes, ne vehementi maxillarum constrictione vulneretur lingua. Post convulsionum vehementiam finitam ad tollendam causam morbi irritantem animus est convertendus. Sanguinis impuritatem corrigere possunt balnea frigidiuscula pluries de die parata ex æqualibus *Infantilis epilepsiæ curatio.*

(y) Nicolaus Rosen de Rosenstein, cui debetur egregius tractatus *de puerorum morbis* germanico idiomate scriptus, qui in italicum sermonem conversus est a Joanne Baptista Palletta, ac multis adnotationibus præstantissimis ditatus.

bus partibus aquæ fontis & lactis. Matris, aut cujuscumque nutricis lac depurari convenit herbis antiscorbuticis, viperatis, aliisque id genus remediis sumptis. Sanguinis missionem aut lanceola, aut hirudinibus factam unius, alteriusve unciæ vel in paucorum dierum natis infantibus convulsionibus vexatis prodesse posse experientia docemur. Sed advertendum est, ne ob summam virium imbecillitatem vicinam expectent mortem infantes. Hoc enim in casu per sanguinis eductionem acceleratur morbi adventus. Ex pulsuum vibratione, & constantia indicium desumi potest celebrandæ phlebotomiæ. Meconium retentum expellunt ut dictum est, seri lactis depurati cum pauxillo sirupi cichoræi copulati sumpta cochlearia quædam, clysteres per siphonem tenuem injecti aqua pauco saponis infecta parati, &c.. Lactis acrimoniam temperare & corrigere solent aliquot aquæ magnesia nitri infectæ unciæ pluries de die sumptæ, pulveres oculorum cancrorum & matris perlarum, olei amygdalarum dulcium cochlearia epota. Hisce nil profi-

cien-

ficientibus ad lactis mutationem cogitandum est. Vidimus non raro ob bonam mutati lactis conditionem epilepticos infantulos instar incantamenti curatos. Ceterum in quocunque sive idiopathicæ, sive sympathicæ epilepsiæ casu opportuna semper sunt nervina, & antispasmodica remedia. Sic laudanum opiatum, moschum electum, castoreum, pulverem valerianæ sylvestris, liquorem anodynum *Hoffmanni*, & his similia tollendis convulsionibus efficacissima remedia modo interne sumpta, modo per clysteres in anum injecta prudenti manu præscripta summopere profecisse non semel vidi. Crustæ lacteæ, aut tineæ retropulsionem, admotis brachiis, & potissimum occipiti vesicantibus, extra corpus evocari solet venenum. Nec vana sunt remedia, quæ valent humorum infantis depurationem efficere. Hac in ætate parum, aut nil utilitatis obtineri potest a remediis ab infante sumptis, quippequi nil efficacioris pharmaci deglutire solet. Tota cura nutrici est committenda, cui remedia depurantia, & lac corrigentia

O dan-

danda ſunt. Sic aquam antivenereani, ptiſanas & ſarſa parilla, & cortice ligni ſancti paratas, decoctiones dulcamaræ, graminis, endiviæ, & aliarum id genus herbarum bibendas damus. Naſturtium, cochleariam, viperam, cichoræam, cancros fluviatiles, ranas, teſtudines, & his ſimiles antiſcorbuticos cibos pro ſanguinis depuratione optimos eſſe experientia docet. Tandem puerorum convulſionum ab aphthis, a dentitione, & a vermibus factarum curationem ſequentia indicabunt.

ARTICULUS III.

Difficilis dentitio. Aphthæ.

Undenam difficilis dentitio. §. 6. Circa ſextum, ſeptimumve menſem adparere ſolent primi dentes in ore infantium, & circa ſecundum annum ceſſat hæc prima dentitio. Quando erumpunt dentes divelli, diſtrahi, & rumpi debent fibræ corporis illius ſpongioſi, quod gingivas efficit. In hac ruptura cum neceſſaria nervulorum irritatione copulata ſentitur

tur dolor, qui eo eſt ſævior, quo gingivæ ſunt duriores, ſenſibilioreſque. Et cum nervi per gingivas excurrentes cum nervis ventriculi, & inteſtinorum communicant, nil mirum, ſi actu eruptionis dentium pueri vomitu, diarrhœa, & doloribus abdominalibus vexentur. Nec rarum eſt videre convulſiones vehementes, & febres comitari indicatam eruptionem. Convulſiones fiunt ex perturbatione fluidi nervei, quam facit molle cerebrum per ſympathiam affectum. Et febris accenditur ex inflammatione gingivas admodum irritatas invadente. Evadit difficilis dentitio, quando durum dentis corpus urgens gingivam magnam invenit reſiſtentiam, cui vingendæ admodum augeri debet dentis ipſius actio. Hinc tarde dens erumpit, & cum ſummo dolore eruptio fit. Ægrotat ab hac cauſa puer, & cognoſcitur tunc ab dentitione infirmari, quando abſunt aliarum ægritudinum notæ, & apparent gingivæ tumidæ, ac rubicundæ, inſolitoque calore afficiuntur. Puer hoc in tempore frequenter digitos ad os adplicat, ſæpe labia mordet, & multam ſalivæ

copiam effundit. Alvi dejectiones fiunt copiosæ, & viridis materies excernitur. Omnia hæc symptomata finiunt post dentium eruptionem, & raro ab hoc morbo ægri interficiuntur.

Quomodo curanda est difficilis dentitio. §. 7. Pro commoda dentium eruptione bonum est pueros frictioni gingivarum assuefacere, qua evadunt gingivæ tenuviores. Convenit optimo lacte infantes enutrire, quo ut ceteræ partes ita dentes optimam sortiuntur conditionem; ideoque facile rumpunt gingivas, & exeunt. Si oris inflammatio percipitur debet emitti sanguis ad unam alteramque unciam hirudinibus retro aures admotis (z), & frequenti aquæ cum lacte copulatæ ablutione gingivæ tractandæ sunt. Ad emolliendas gingivas laudant cerebrum leporis, sirupum violarum, & sirupum althææ, butyrum in-

(z) Sanguinis missionem in gingivarum inflammatione orta a difficili dentitione nimis commendat Cl. Sydenhamius Prax. Medic. Cap. V. p. 248.

insulsum, oleum amygdalarum dulcium, & his similia. Verum nos hisce remediis opportuniorem feliciorem que vidimus aquam tepidiusculam cum lacte copulatam pluries de die gingivis admotam. Et, ut diutius supra gingivas indicatum remedium retineri possit, accipienda est tenuis spongiæ frustulum, & aqua lacti conjuncta imbui debet, sicque hoc frustulum emollienti remedio madidum illi parti gingivarum est adplicandum, ubi percipitur calor, tumefactio, & dolor major. Vehementes dolores & cunvulsiones ab difficili dentitione excitatas compescere possunt adplicata anodyna, & narcotica ex decoctione papaverum cum addita laudani opiati solutione parata. Hoc remedium & parti affectæ admoveri, & interne propinari potest. Ceterum, hisce nil proficientibus, ad gingivarum incisionem levi scalpello factam deveniendum est. Hæc operatio diligentis chirurgi manibus committenda est.

§. 8. Aphthæ sunt parva vulcuscula in ore & faucibus puerorum enata. Sic *Quid sunt aphthæ.*

 Ae-

Aetius (*a*) Celſus (*b*) & ante hos Hippocrates (*c*) de aphthis ſcripſerunt. Re quidem vera acutas, & ardentes, inflammatoriaſque febres quæ ulcuſcula comitantur, & in ore, faucibus, oeſophagoque oriuntur *aphthæ* appellantur. Horum ulcuſculorum origo debetur humoribus fluida parte orbatis, & capillaria oris vaſcula obſtruentibus, qui mora facti acres, & corroſiva præditi indole exulcerant totum oris, oeſophagi, ventriculi, inteſtinorumque tractum. Nec denegamus aut humorem ſcorbuticum, aut exanthematicum, veluti morbillare, varioloſum, ſcarlatinum &c. indicatas partes obſidere poſſe obſtinatiſſimas aphthas facturum. Hujuſmodi ulcuſcula habere ſolent colorem aliquando album pellucidum inſtar margaritarum, aliquando flavum, lividum, nigrum. Et ex vario colore varia oritur aphtharum indoles. Quo ſunt lividiores, nigrioreſque,

Quibus ex cauſis fiunt.

(a) Lib. VIII. c. 41. p. 158.
(b) Lib. 2. c. 1. p. 44.
(c) Sect. III. aph. 24., & Epid. 3. T. VI.

que, & quo sæpius exiccatæ reviviscunt, eo maligniores sunt. In pueris ob partium teneritudinem, mollitudinemque frequentius accidunt. Licet heic de illis aphtis sentiendum est; quæ potius sequuntur ambullas in ore & faucibus ortas. Post harum bullarum exiccationem crustæ enascuntur modo dentiores, modo laxiores, modo ficciores, modo humidiores; & ex his deciduis pueri cum parva puris quantitate commixtum expuunt sanguinem. Quando hæ pustulæ sunt per oesophagum, perque ventriculum sparsæ, & comitem habent continuam febrim, potissimum si tracheæ superficiem occupant, tunc pene semper pueros interficiunt. Vidi semel iterumque decidentes primas aphthas novam aptharum eruptionem sequi: Hisce corrigendis, curandisque valet exacta lactis depuratio, quæ obtinetr usu selectorum ciborum, & antiscorbuticorum remediorum. Sunt frequenter abluendæ aphthæ aqua sambuci, in qua gummi arabicum & sal prunellæ solutum sit. Si crustæ elabuntur aqua hordei & melle rosaceo sæpissime abluendæ

Aphtharum curatio.

dæ ſunt. Et quæ livido, aut nigro obſidentur colore medicari ſolent ablutione decoctionis chinchinæ ſalis dulcis ſpiritu infectæ. Nec inutile erit ægroto aquam antiveneream, herbas antiſcorbuticas, ipſamque chinchinæ decoctionem acido minerali infectam, & his ſimilia propinare. Laudant cordatiores chirurgi adverſus obſtinatiſſimas aphthas decoctionem ligni guajaci cum ſpiritu nitri dulcificato copulatam. Quando vero aphthæ cum magno oris, fauciumque calore, pruritu, & inflammatione conjunguntur, diluentibus remediis, potiſſimum ab aqua ſambuci lacti conjuncta, aut ab decoctione chamæmeli, & lactucæ cum pauxillo aceti copolata elicitis abluendæ ſæpe de die ſunt (*d*).

AR-

(d) De aphthis plura ſcire cupientes Conſulite Ketelaerum *de aphth.*, *&* *Swietenum T. V. commentar. aphor. Boerhaav. n.* 978. *&* *ſeq.*

ARTICULUS IV.

Rachitis. Hydrocephalus.

§. 9. EST morbus pueris familiaris ossa potissimum invadens, qui dicitur *rachitis*. Hujus morbi characteres sequentes sunt. Non ante sextum mensem, neque post duos annos apparere solet, & quidam tumores ossei præ primis in spina, in articulationibus carpi, genu, & tarsi observantur, inde sensim sensimque reliqua ossa curvari solent. Caput puerorum justo grandius est, faciesque in morbi initio rubicundior solito apparet. Ingenium est perspicax, & ante dentium consuetam eruptionem loqui incipiunt. Morbo progrediente intumescere abdomen propter enatas obstructiones incipit, & ob nutritionis defectum sensim, sensimque emaciantur pueri. Diarrhoea, qua viridæ fæces copiosæ excernuntur, frequenter vexat, tussis haud raro molestat, & facta intra pulmones viscidæ materiei congestione ad phthisim disponuntur ægri. Ossa parum elonganiur ob

Quibus signis adparere solet rachitis.

ob conceptam deformitatem, & ob ſucci medulloſi degenerationem pædarthrocace corripiuntur. Tandem lentam enatam febrim, univerſalem corporis maciem, præter adbomen, quod elevatum, & turgidum apparet, frequentem alvi ſolutionem maraſmum augentem excipit mors. Hæc puerorum ærumnarum requies eo celerior, certiorqne eſt, quo abdominis viſcera, & pulmones tenaci lympha citius obſtruentur, quæ mora, & loci calore facta acrior nobilium partium corruptionem affert. Nec raro datur videre rachiticos pueros longam trahere vitam. Id accidere poteſt ex eo, quod cerebrum, pulmones, hepar, & meſenterium nullum vtium contraxerint, & oſſa licet tuberculis duris obſita, & diſtorta ſint, tamen nullam internam medullæ, aut alius humoris corruptionem acquiſiverint. Rachitis licet non ſit contagioſa, attamen a parentibus in filios, tardoſque nipotes per generationem transfunditur. Fabri lignarii familiam novi, quæ tota eſt rachitica. Plurium filiorum genitores rachitici non ſunt, & tamen omnes filios

ios rachiticos generant, qui circa quartum, & quintum annum moriuntur. Hi genitores filii sunt rachiticorum, quorum morbus in nipotes transmissus est.

§. 10. Rachitidis causa in ea humorum indole est collocanda, in qua potestas est tam durarum, & firmium, quam mollium partium tantam pessundationem parere. Acidam cacochymiam in puerorum corpore generatam id facere posse ratio, & experientia suadet. Nimirum cum experientia evictum sit ossa ab terreo elemento cum succo osseo concreto efformari, cumque ossa firmitatem, & duritiem amittant, si in aceto, aut in spiritibus acidis mineralibus aliquantisper detineantur, prout Duhameli, Herissani, Wittii, Hallerique observationes evicere (*e*), apparet evidenter richitidis causam necessario deberi acidæ cacochymiæ in corpore genitæ. Nam, quando acidum hujus- *Quænam est rachitidis causa.*

(e) Consulit. nostr. Physiol. ubi de ossium efformat.

jusmodi venenun intra ossium compagem immittur, terreum destruendo elementum, ita ipsa emollit, ut substinendis cunctis corporis motibus imparia reddat. Sic circa articulationes, in quibus veluti motionum fulcrum collocatur, præ primis tumere ossa incipiunt, & spina, cui erectio machinæ penitus est commissa, præsertim curvatur. Neque ossa multum crescere possunt ex ratione, qua constat tunc ipsa elongari, cum per continuam adquisitam firmitatem naturalem musculorum resistentiam superare valeant. Et ex irregulari nutritione, quam obtinent distorqueri necessario debent. Rachitica mulier pelvim habet ita arctam, ut si conceperit difficile fœtum expellerit, & moriendum illi erit. Quando acidum venenum cranii ossa adoritur ea nondum suturis firmata emollit admodumque distendit. Et auctæ nimis calvariæ magnum aptatur cerebrum. En ratio cur magno capite donantur rachitici, & ingenium acrius habeant. Acida hujusmodi cacochymia generatur in visceribus imi ventris ob chylopejeticarum vi-

virium debilitatem, quam pueri ſive per temperamentum, ſive per vitium generationis a parentibus acceptum habent. Neque denegamus nutricis pene ſemper lac vitiatum ob admiſſos in ſex res nonnaturales errores ægre admodum digeri a puero poſſe, ſicque in ipſius corpore generatur cacochymia acida. Lac enim non rite in viſceribus digeſtum in acidam indolem faceſſere cunctis innoteſcit. Sic non ante ſextum menſem apparere ſolent rachitidis veſtigia. Nam tanto tempore opus eſt, ut illud acidum venenum oſſa invadens ea poſſit vitiare. Nec poſt ſecundum annum apparet rachitis, quia ſi per tam longum tempus mollia cetoroquin puerili oſſa nullum vitium ab rachitico veneno contraxerint, facile conjectari poteſt ipſum a corpore pueri abeſſe.

Comitantium rachitidum ſymptomatum redditur ratio.

§. 11. Quando in abdominis viſceribus generatur cacochymia hujusmodi acida conſtringit irritando vaſa lactea, & factis eorum oſculis arctioribus nutrimenti copia in corpore puerorum deficit. Et lymphæ ob acidi admixtionem facta juſto viſcidior craſſiorque obſtruit

ſtruit meſenterii, reliquorumque viſcerum, potiſſimum, hepatis glandulas. Hæc obſtructio in dies augetur ob novæ viscidæ lymphæ additionem. Sic intelligitur cur turget rachiticorum abdomen, dum reliquæ corporis partes maraſmo corripiuntur. Et pulmones ſive quod eadem viſcida infarciantur lympha, ſive quod per vitiatam anguſtatamque oſſium pectoris conſtructionem juxta naturalem ſtatum ampliari nequeant, accidit, ut cor dexterum libere evacuari intra ipſos nequeat, & vena cava reducem a facie ſanguinem libere accipere non poſſit, ex quo vividus faciei color excitatur, qui in pallidum commutatur, quando per temporis longum intervallum totus ſolidorum, & fluidorum ſtatus vitiatus apparet. Si multa copia lactis indigeſti in inteſtinis reſtat, debet neceſſario non levem irritationem parere, cui accedens bilis exoneratio, augetur irritatio. Ita intelligimus cur ſæpe enata diarrhoea alvi fæces multæ & virides a rachiticis excernantur, & per hanc diarrhoeam diſſipatis fluidis par-

partibus quæ remanent craſſiores augent abdominalium viſcerum obſtructiones. Tandem hanc cacochymium acidam tractu temporis commutari in alcalinam acrimoniam adſerit modo laudatus Roſenſtein (*f*). Hoc ab indole febris, a corporis conſumatione, ab ſpina ventoſa, atque ab aliis putridis adparentibus ſymptomatibus deſumit. Hæc quemadmodum vera ſunt, ita pariter certum eſt, quaſdam alias cauſas morbum fovere ſolere. Sic diuturnus incolatus in frigido, & humido loco rachitidi viam ſternit. Per impedimentum enim perſpirationis, & per muſculorum imbecillitatem immiſſa acidæ cacochymiæ rudimenta haud corrigi & expelli de corpore poſſunt. Sic intelligimus cur in Angliæ humidis frigidiſque regionibus rachitis frequens obſervetur; & cur quoque corripiat eos, quorum vita per corporis inertiam ſummam, perque victitandi errata eſt traducta. Quando ſcilicet pueri nimis raplentur lacte impu-

(f) De pueror. morb. p. 355.

puro, & panatellis in acidum vergentibus, quarum & qualitati, & quantitati vitiatæ non opportuna respondet coctio, hi frequenter rachitidem patiuntur (*g*).

Rachitidis prognosis & cura. §. 12. Dum rachitis non multas in corpore injecit radices, nec profundam in pulmonibus, inque abdominis visceribus labem infert, curationem admittit. Secus incurabilis evadit, & circa tertium quartumque annum pueros interficit. Nec raro datur videre rachiticos senes, qui nullam in magni usus visceribus labem a morbo, de quo sermo est, obtinentes longævam ducunt vitam. Rachitidis curationem, quæ pluries nobis felix evasit, in hunc modum instituere debetis. Convenit in primis usum rerum in acescentiam tendentium abstinentiam imperare. Si fieri potest, ante unius anni terminum pueri

(g) Adire potestis, adolescentes, Zevianum, nuper laudataum Rosenstein, Strackium, alisque de rachitide optimos recentiores Scriptores.

ri ablactatio eſt inſtituenda, & carnium vitellorum aut pullorum jura, nec non viperam, naſturtium, cochleariam, cancros fluviatiles, teſtudinem, aliaque hujuſmodi ſanguinem contram cacochymiam acidam munientia in multa aquæ ebullitione parata ægroto concedenda ſunt. Ab humido, cænoſo, & craſſo aere in purum, elaſticiorem, & mineralibus effluviis quodammodo refertum mutatio facienda eſt. In hoc aere diuturnus incolatus puer faciat oportet, & motum per carruculum inſtitutum pluries de die inſtituat. Somnus ſit moderatus, & veſtium religioſa cuſtodia habenda eſt. Semper a corpore pueri abeſſe debent loricæ, & tibialia ab oſſibus balenæ, aut exiccato animalium corio confecta. His enim vidi rachiticorum oſſa in pejorem diſtorſionem abire. Mane & ſero totum corpus cum laneo panno maſtices fumo infecto factis frictionibus eſt excutiendum. Et unctiones per ſpinam, & per articulationes ſemel iterumque de die facias *unguenti martialis* non parum profeciſſe cognovi. Apud nos extant nonnulli experientiſ-

 ſimi

ſimi chirurgi, qui faciunt unguenta contra rachitidem admirabilia, quorum virtutem non ſemel cum ſummo ægrorum emolumento experti ſumus. Hiſce aromatibus unguentis corrigi poteſt vitium oſſeum propter deſtructionem rachitici veneni.

Rachitidis curatio ſequitur. § 13. Remedia autem interno uſui opportuna ea eſſe videntur, quæ alcalina virtute prædita poſſunt acidam rachitici veneni indolem corrigere. Ens veneris boyliana methodo paratum ad grana decem quotidie per plurium menſium ſpatium propinatum tamquam morbi celebratiſſimum antidotum nunc vidi in duas rachiticas puellas, quas integre a morbo liberavi diuturno tanti remedii uſu. Cochleariam, & naſturtium indicato remedio adjungi optimum eſt. Laudat Roſenſtein ſal alcalicum calcinatum diſſolutum in aqua fontis, & præcipit hoc remedio, præſertim pueros pauperes uti debere quotidie ad datam doſim, & commendat quoque ſaponem venetum, fel bovis coctum, & radicem aronis. His probe conjunctis interneque ſumptis credit corrigi poſſe

ra-

rachiticum venenum, promoveri ciborum digeſtionem, aperiri venarum lactearum oſcula, cohiberi mucoſorum humorum generationem, humorumque tenacitatem, nec non menſentericarum glandularum obſtructiones ſolvi, & temperate alvum lubricari (*h*). Rubiæ tinctorum uſum quotidiana praxis in curandis oſſium morbis opportunum ſemper cognovit. Hinc pro pueris rachiticis concinnari poteſt in hunc modum remedium. Rubiæ tinctorum uncia ſemis, corticum aurantiorum grana viginti, & totidem grana ſeminum petroſelini accipiantur, & in libris ſex aquæ fontis coquantur ad tertiæ partis conſumptionem. Hac decoctione uta-

(h) Doſis horum remediorum eſt ſequens. Accipiantur decem grana ſaponis veneti, fellis bovini cocti granum unum, radiciſque aronis grana quinque. Miſceantur omnia & fiant pilulæ cinnamomi pulvere involvendæ. Harum pilularum quatuor ad prandium, totidemque ad cœnam ſumenda jubet auctor loc. cit. p. 358.

tur rachiticus pro quotidiano potu. Verum fateri debemus entis veneris virtute pro rachitide curanda efficaciora indicata remedia non esse. Cum hodie nostrates medici pro curanda ascite decoctionem hyosciami efficacissimam experti sint, crederem eandem decoctionem puero rachitico turgidum abdomen & pene asciticum habenti tuto concedi posse.

Quid est hydrocephalus, & quæ sunt ejus species.

§. 14. Hydrocephalum aquæ circa cerebrum collectionem, ideoque cerebri hydropem significare unusquisque scit. Hujus sedem quatruplicem practici statuunt. Altera est quando aqua inter cranium, & exteriora integumenta, altera est quando aqua inter duræmatris exteriorem superficiem, & cranium interius, tertia quando aqua inter duram, & piammatrem, quarta quando intra ventriculos cerebri ubertim colligitur. Et semper verum est in solis fœtuum, & infantium calvariis tenuibus ossibus concinnatis collectam super cerebrum, aut super ejus membranas aquam osseam thecam distendere & aliquando separare posse. Nam in adul-

adultioribus hominibus quæ colligitur vel magna copia intra calvariam aqua meninges, & cerebrum comprimit lethalem factura apoplexiam, ne hilum quidem thecam commovet osseam. Quando tenera fœtus, & infantis cranii ossa frequenter ab aqua tanguntur ita mollia & diaphana aliquando evadunt, ut facile rumpi & separari valeant. Suturæ cranii aut nondum sunt conjunctæ, aut levi nexu hærent in nuper natis. Hinc, accedente propter jugem aquæ contactum præternaturali mollitie, ita distendi, & laxari debent, ut caput insigniter augeatur, & aut portio cerebri, aut ejus membranæ veluti in sacco quodam clausæ extra calvariam ferantur. Hic tumor mollis, decolor, pene immutabilis, follicularium tumorum indolem referens videtur esse herniosus, quocirca cum recentiori autore (i) aut *enphalo-*

 ce-

(i) Joanne Baptista Palletta in sapientissimis adnotationibus, quas operi *de morbis puerorum Rosenstein* adnectit p. 392.

celem, aut *meningocelem* eum appellamus ex ratione, qua modo encephalon, modo meninges in ſacco clauduntur. In tumore aqua ſervari quoque debet, & numquam aut cerebrum, aut ejus membranæ exire e calvaria poſſunt, niſi prius tenera infantis oſſa ab diſtendente aqua collecta dehiſcant. Cum autem aqua intra calvariam collecta ſemper cerebrum comprimere debeat, neceſſario accidit, ut raro encephalocele conſtituatur, & tunc ſolum advenire poſſit, quando cranii ſuturæ in loco admodum declivi aperiantur. Si hujuſmodi tumores apparent, caute tractandi ſunt, & apertura omnino evitari debet. Aut enim continent cerebri portionem, aut meninges, aut ſolam aquam, ſemper tumoris ſectionem ſequitur infantis mors. Quando cerebrum, & meninges vulnerantur lethale vulnus conſtituitur, & quando effunditur ſola aqua, quæ in tumore ſervatur, cerebrum concidit, & viſceris munera deficiunt. Hujuſmodi aqua communicat cum illa, quæ naturaliter intra ventriculos cerebri ſervatur. Hinc patet per tumoris aperturam effun-

effundi ventriculorum cerebri aquam, & cerebrum concidere, irreparabilem inde mortem sequi.

Quæ est causa hydrocephali.

§. 15. Sed qua ratione tanta aquæ copia intra duram matrem, & piam, aut intra ventriculos cerebri (his in locis frequens hydrocephali sedes constituitur ex ratione, qua difficile aqua intra pericranium exterius, aut intra cranium, & duram matrem, propter partium duritiem, & fortem nexum) colligitur? Unica esse videtur causa impedita nempe tenuis roris absorptio. Jugi enim vapore & arachnoideam, & piam matrem madescere, & non parvam aquulae quantitatem intra cerebri ventriculos colligi in naturali statu scimus omnes. Si autem in fœtu, & in nuper nato puero, aut per compressionem, aut per obstructionem, aut per convulsionem, aut per quamcumque aliam internam causam clauduntur vasorum absorbentium hiatus, & dum ab exhalantibus arteriis ros emittitur ab inhalantibus non hauritur, augetur sensim aquæ copia, quæ distendens cranii ossa hydrocephalon

constituit. Neque mirum alicui videri potest pueros vivere per menses, & forsan annos tantam aquæ copiam super cerebrum habentes. Nam hujusmodi aqua non comprimit solum cerebrum, sed contra ossa urgens ea mollia enormiter distendit, ita ut aliquando visa sint obverso capiti lumine contentæ intra calvariam partes propter summam cranii diaphinitatem. Neque vero data cerebri compressio ab aqua deficit. Hac enim compressione efficitur, ut hujusmodi pueri sint stupidi, & sensus habeant habetes, nec non propter influxus nervei defectum capiti subpositas partes graciles & debiles teneant. Vidi superioribus annis puerum in nosocomio incurabilium decumbentem annorum octo, qui hydrocephalo laboravit, & ejus caput erat tam magnum, ut sine dubio quatuor simul junctas puerorum calvarias superaret. Hic puer reliquas corporis partes ita exiles, & parvas habebat, ut vix nuper nati infantis corpus æquare videretur. Nec in erecto situ, substineri, nec ambulare potuit. Post duos menses tabe

Hydrocephali phænomena.

ſbe confectus periit. Et aqua intra calvariam collecta poteſt per tubum ſpinæ ad uſque os ſacrum venire, ibique collecta ita emolliire vertebras, ut tandem eas ſeparare valeat. Sic exit involucrum tubi ſpinæ, & ob peculiarem aquæ collectionem fit *tumor hydrorachiticus*, cujus ut plurimum lethalis eſt exitus. Neque denegamus per totam ſpinam nimis collectam aquam tamquam oſſei canalis ſpinæ hydropem facturam non raro obſervari. Hæc eſt *hydrorachitis*, quæ haud raro accidere quoque ſolet ob impeditam humoris aquei abſorptionem vaſorum inhalantium in toto ſpinæ cavo exiſtentium. Quando vero diſſociantur a corporibus vertebrarum apophyſes ob congeſtam aquam, & peculiaris tumor aquoſus conſtituitur, tunc fit morbus, quem vocant *ſpinam bifidam*. Ab anatome enim ſcimus & apophyſes tranſverſas, & ſpinoſas vertebrarum per ſynchondroſim, ſive per intermediam cartilaginem conjungi cum oſſeo vertebrarum corpore. Hæc cartilago in fœtu, & in infante tenerrima eſt,

Hydrorachitis quomodo fit.

Quomodo fit Spina bifida.

eſt, cui ab adfuſa aqua tanta mollitudo accedit, ut facile rumpi & ſeparari poſſit. Secedentes ſic apophyſes a corporibus vertebrarum, & permittentes canalis ſpinæ involucri membranoſi exitum, coſtituitur modo memoratus tumor, qui dicitur *bifida ſpina*. Morbus ſecundum variam fœtus motionem, ſecundum varium pondus & variam diſtractionem aquarum, ſecundum variam vertebrarum diſpoſitionem &c. modo in collo, modo in pectore, modo in lumbis apparet. Hujuſmodi tumores ſedulo obſervandi & cognoſcendi ſunt. Frequenter ob vitiatum, & forſan extinctum nervorum a ſpina prodeuntium influxum venit inevitabilis mors. Superiori anno miebatur filius amiciſſimo meo, cui tumor ſupra os ſacrum apparebat magnitudinis ovi columbini. Diſceptabant inter ſe duo ſapientes chirurgi de tumoris indole. Ego dixi tumorem eſſe bifidam ſpinam, quam citam mortem ſequi neceſſario debere. Poſt octo dies infans moriebatur. Prohibita mihi fuit cadaveris ſectio, a qua indoles

es tumoris evidenter adparebat (*k*). Medicamenta aut nulla, aut pauca conveniunt in hydrocephalo. Alvus frequenter laxanda est mercurio dulci & pulvere jalapæ. Nobis in usu est in sirupo de cichoræa Nicòlai unum alterumque granum scillæ præparatæ immittere, remediumque ad ciendas urinas aptum cochlatim infanti exhibere. Nutricis lac corrigimus usu aquarum thermalium, & herbarum antiscorbuticarum, quibus adjungimus rubiæ tinctorum aquam tota die bibendam. Hisce alimentis enutritus infans potest sui morbi medicinam obtinere. Sectionem, ustionemque cutis calvariæ abiicimus ea ratione, qua scilicet timemus eductam in cerebro aut circa cerebrum collectam aquam viscus concidere, & sui muneris exercitium penitus amittere, quo vita ægrotantis cito extinguitur. *Hydrocephali cura.*

AR-

(k) De Hydrocephalo plures sapienter scripsere, inter quos laudarem Witthium Murrayum, Watsonum, Volgelium, Swietenum, & Rosenstein.

ARTICULUS V.

Crusta Lactea. Tinea.

Quid est crusta lactea. §. 16. SOlet in pueris circa cranii & faciei cutem adparere non parva quantitas pustularum, quæ modo sunt latæ, modo rotundæ, modo parvæ, modo magnæ, semper inchorosam continentes materiam. Pustulæ ab una faciei, vel crani parte transeunt ad aliam, & non raro in unam cocunt continuatam crustam coloris albo flavi. Hæc est crusta lactea, quam Itali vulgo vocant *lattime*. Hoc morbo a prima infantia ad usque decimum annum pueri vexantur. Aliquando post multas pustularum exiccationes novæ reviviscunt pustulæ, & quæ antea credebatur extincta crusta lactea, iterum reviviscit. Nec raro accidit videre non modo calvariam, & faciem, sed totam pectoris cutem ab hoc morbo detineri. Vidi duos infantes habere crustam lacteam per universam corporis cutem diffusam, a qua tam pessime fuere conflictati, ut morbus

bus ſpernens omnia artis præsidia, tandem, præcedentibus fortibus convulsionibus, eos interfecerit. Quando vult adparere circa cranium, & circa faciem indicata cruſta elevat quodammodo infantis cutem, eamque reddit pruriginoſam. Evadunt irrequieti infantes, ſpirant halitum urinoſum, nec convulsionibus ſæpeſæpius recurrentibus carent. Et ophthalmiam, catarrhos ſuffocativos, alioſque graviſſimos morbos parit occulta intra ſanguinem retenta cruſta lactea. Hujuſmodi morbus fit ab acri ſero, peculiari indole vitioſa prædito, cujus peculiare genium eſt occupare cutem circa occiput exiſtentem, in quam figit ſuam radicem, & adveniente ichoris emanatione per rupturam cutis factam, emendari, & curari ut plurimum ſolet. Vulgo creditur omnibus pueris inhærere legem cruſtam lacteam expurgari, eamque per generationem, ſive per matris fœtuſque ſanguinis communionem propagari. Matrem quondam hoc morbo detentam debere filios generare eodem morbo infectos, & nutricem alienam ipſomet laborantem morbo *Cruſtæ lacteæ cauſa.*

bo debere vel e matre ſana enatum infantem inquinare, vulgata apud mulierculas res eſt. Nos quemadmodum aſſerimus id aliquando verum eſſe, & ex vitioſa humorum indole per generationem a matre in filios cruſtam lacteam propagari, ita denegamus non poſſe puerum bonam promittere ſanitatem, vitamque longævam habere penitus hac affectione deſtitutum. Integras novi familias, quæ fuere ab hoc morbo immunes bona gaudentes ſanitate & longam vivere vitam.

Cruſtæ lacteæ prognoſis, & cura. §. 17. Ceterum quando hujuſmodi acris humor corporis exteriora occupat, & quando laudabili methodo expurgari permittitur, a gravi morbo immunes ſunt pueri. Et ſi in exteriores partes impetit cerebrum, nervos, pulmones, heparque læſurus, poſt febres, convulſiones, tuſſes, aliaque gravia incommoda obire poteſt infans. Huic curando morbo valet lactis nutricis deputatio, potiſſimum per bonum victus regimen, & antiſcorbuticorum remediorum uſum facta. Et apud nos unica methodus curandæ cruſtæ lacteæ rece-

cepta eſt ipſius per ruptam cutem occipitis perennis eductio. Hæc obtinetur, dummodo uſu betulæ ſucci, & ſaponis nigri occipitis indicata cutis diu aperta ſervetur. Et quamvis ad brachia veſicantia medici admovent, ut cruſtam expurgent lacteam, attamen experientia cognovi hujuſmodi vitioſum humorem per occipitis cutem, & non per aliam viam tuto expurgari ſolere. Sive quod cum hoc capitis loco affinitatem tantum habeat, ſive quod occipitis cutis aperta tamquam in loco capitis inferiori veluti per declivium expurgetur degener humor calvariæ & faciei cutem occupare ſolitus, ſive per aliam cauſam, illud certum eſt tuto a noſtris mulieribus hac methodo curari cruſtam lacteam. Ad curandum hujuſmodi morbum tamquam ſpecificum laudat Strukius herbam *jaceam* dictam ſive *florem trinitatis*, ſive *jaceam tricolorem* Botanicis dictam. Accipienda eſt hujuſmodi herba viridis ſine radice, & ſine ſemine, & in lacte coquenda eſt. Hujuſmodi lac pluries de die ægroto bibendum dari debet. Per

unam,

unam, alteramue hebdomadam ſumendum eſt remedium, & poſt plurium circa faciem puſtularum adparitionem, earundemque inde advenientem exiccationem ex integro curatur puer. Poſt puſtularum exiccationem continuandum eſſe remedium per alios quindecim dies jubet auctor. De hujuſmodi remedii virtute nil ſpondere poſſum, cum non adhuc practicæ meæ obſervationi ipſum commiſi. Ceterum vos moneo, adoleſcentes, ne a veteri curandæ apud nos cruſtæ lacteæ more recedatis (l).

Quid eſt tinea, & quomodo ſe manifeſtat. §. 18. Tinea eſt Neapolitani Regni endemicus morbus, qui calvariæ puerorum cutem obſtinate adoritur pertinaciſſimi ſcorbuti indolem referens. Cito nimis in pueris apparet, & adoleſcit ad uſque tardam eorum ætatem. Cruſtæ agminatim per calvariam excurrunt, & non raro totam adoriuntur faciem de genere impetiginis. Vidi ſuperiori anno

---

(l) Adire poteſtis notam Pallettæ operi Roſenſtein adpoſitam in p. 376. ubi de cruſta lactea, & de hoc ſpecifico fit mentio.

anno hominem quadragesimum annum agentem in incurabilium nosocomio degentem habere tineam per totum corpus diffusam. Crustæ albæ, aridæ, agminatim positæ corrosivum veluti humorem servantes in pedibus, in brachiis in abdominis ac pectoris anterioribus & posterioribus partibus, inque toto collo existentes similes erant illis, quæ in calvaria reperiebantur. Tinea morbus est contagiosus, qui per fomitem, & contactum immediatum transit ab uno in alium puerum. Et inter nostrates mos est puerum tinea affectum separatum ab aliis sanis pueris tenere. E toto regno veniunt in nostrum Incurabilium Nosocomium turmatim hoc morbo vexati pueri, & puellæ, quarum domicilium angustum, & non penitus perflatum, indeque necessarium invicem contagium haud impediens, reddit morbum sæviorem, longioremque. Numquam puerorum, & puellarum in nosocomio hujusmodi decumbentium numerum minor est 300. Credunt medici cordatiores produci morbum ab veneno muriatica, & corrosiva indole prædito, cujus

Quid est tinea.

Quænam tineæ causa.

genium peculiare est occupare bulbos pilorum calvariæ, in quos oleum collectum evadit ita vitiosum ob veneni scorbutici adventum, ut difficile sit absque repetita capillorum evulsione, & adplicatione remedii veneni indolem corrigentis morbum videre curatum. Et tinea per plebis, & minutæ gentis puerulos eo crudelior grassatur, quo vilium ciborum frequentior est usus, & summa cutis immundities, nec non impuri, non ventilati & vitiosi aeris respiratio accedit. Hisce causis coinquinari sanguinem ulterius, ulteriusque salinis, scorbuticis, impurisque particulis certum est, quibus morbo fomes frequenter sugeritur.

Tineæ cura. §. 19. Felix apud nos morbi curatio abtinetur, si interno usu opportunorum remediorum, atque instituta aeris pro respiratione convenienti electione prospiciatur interiori humorum vitio, a quo augumentum, & fomitem morbus semper suscipit. Hinc in primis fieri debet separatio infecti pueri a sanis, & in aere libero undiqueque perflato incolatum ducat ipse oportet. Aquam

Aquam fumariæ cum ſero lactis depurato conjunctam, ptiſanam ex ſarſa parilla & cortice ligni guajaci factam, aquas thermales, præſertim annuente tempeſtate, antimonii pulverem cum ſirupo ejuſdem ſarſæ copulatum, ciborum ſelectisſimorum, potiſſimum fructuum horæorum, lactucæ, trifolii, cochleariæ, acetoſellæ, nec non aliarum herbarum antiſcorbuticarum uſum internum non parum corrigendo & debellando tineæ veneno prodeſſe quotidiana docet obſervatio. At nil efficacius morbo medetur, quam frequens cutis mundities per balinea frigidiuſcula bis de die procurata. Unica ratio, qua in incurabilium noſocomio tinea numquam extinguitur eſt locus alendis hujusmodi pueris inopportunus, nullus medicamentorum internorum uſus, improba cutis fæditas. Turmatim enim in anguſto loco multi dormiunt pueri tinea infecti, & unus alteri morbum communicat. Ceterum methodus, qua curatur in noſocomio tinea eſt ſequens. Poſt unum, alterumque catharticum a ſarſa ſolutiva, aut ab aqua ſolutiva P.

Emilii electum propinatum, totæ calvariæ applicatur unguentum aureum, aut butyrum insulsum ad desquamandam tineæ escharam. Inde sequenti unguento fit usus. Accipiantur hellebori nigri cum radicibus & frondis, & gallarum orientalium ana uncia una, sulphuris uncia una & semis, picis navalis unciæ duæ, aluminis crudi uncia semis, viridis aeris uncia una & semis, communis cretæ uncia una, calcis vivæ uncia una, orpimenti uncia una & semis. Pulverisatis pulverisandis immergentur in libram semis veteris olivarum olei depurati, atque in unciam unam & semis optimi aceti, & in lebete bulliant omnia usque ad unguenti conditionem. Hoc facto accipienda est nigræ picis debita quantitas, moderatoque igni exponenda, ut ad laudabilem conditionem perducatur. Frigefacta pix moderate dato calvariæ loco applicetur, & ut pix firmetur statim frigida aqua tangenda est. Inde cum impetu evellatur, ut ita adveniat depilatio. Ab uno in alium calvariæ locum hæc transiens depilatio fit, ut tota calvaria ab eschara

ra

ra tineæ & a capillis munda evadat. Post omnimodam calvariæ depilationem applicandum est nuper memoratum unguentum. Quotidie aqua sapone infecta abluenda est calvaria, & post ablutionem unguentum est adplicandum. Id tot vicibus est repetendum, quot constat sufficisse ad omnimodam obtinendam tineæ exstirpationem. Si post novum capillorum ortum percipiatur eos non esse puros, ideoque morbum duratum iri concluditur, tunc repetenda est indicata methodus, usque dum certa morbi cura habebitur.

ARTICULUS VI.

Vermes.

§. 20. LIcet verum sit cujuscumque ætatis homines posse vermibus laborare, attamen certum est pueros vermium generationi frequenter esse subjectos. Sive quod pueri ob fibrarum mollitiem, & oscillatorii motus arteriarum imbecillitatem recepta insectorum ovula intersicere, & expellere *Pueri qua ratione vermes frequenter patiuntur.*

lere non valeant, ſive quod pueri multa abundant pituita inteſtinali, in qua oriuntur, nidulantque vermes, ſive quod in tenero puerorum corpore humor reperiatur alendis vermibus opportunus, ſive ob aliam cauſam, certum eſt puerilem ætatem vermium generationi ut plurimum eſſe ſubjectam. Hoc morbo laborare ſolent pueri ſtatim ac cibos comedere ſolent. Hippocrates, poſtquam varios infantium morbos recenſuerat, addit vermium generationem paulo factum adultiorem pati ſolere puerum (*m*). Cum autem varia ſint corporis loca, in quæ vermes reperti ſint, quemadmodum apud Sennachium, Ruyſchium, Duvernejum, Baglivum, Swietenum, Roſenſtenium Valiſnerium, Swammerdamium, Rhedium, Andry, Reaumurium, Bonnetum, alioſque de re medica, & hiſtoria naturali benemeritiſſimos viros videre eſt, attamen locus frequens, in quo generantur, eſt totus ventriculi ac

(m) Lib. aphor. 3. n. 26.

ac intestinorum tractus. Si intra pericardii cavum, aut intra pectus, aut intra cystifelleam, aut intra cholodochum, aut intra aliam abdominis partem lumbrici reperti aliquando sunt, eos ab intestinis sibi viam facientes unam, alteramve ex memoratis petere posse partem dicendum est. Suis morsibus fodicare intestina, & in cavum abdominis venire vermes quotidiana docet observatio. De vermium origine diu inter sapientissimos naturalis historiæ scriptores disputatum est, nec penitus inter eruditos hodie conquiescit quæstio. De hac quæstione ne mutire quidem nobis practicas institutiones scribentibus licitum est. Adire potestis adolescentes nuper memoratos scriptores hac de re multa cupientes. Nos ab illa sententia, qua statuitur ab ovis intra ventriculos, & intestina per cibum, & potum delapsis oriri vermes haud posse alienari sanior ratio suadet (*n*). Frequentior vermium intra intestina

Vermes fiunt ab ovis intra nos venientibus.

(n) Nimirum ascaridum, lumbricorum, tænia-

ſtina repertorum triplex eſt ſpecies; Altera *aſcaridum*, altera, *lumbricorum* tertia *tæniarum* eſt, His addit Roſen-
ſtein

---

niarum, & gordiorum, per terram excurrere, & per aerem volare ovula innumerabilia certum eſt. Quando aut cibum, aut potum ſumimus, cum his comiſceri poteſt ovulorum quantitas non parva, quæ venit intra ventriculum, & inteſtina, in quibus & ob loci calorem, & ob multam humorum copiam foveri ita poſſunt, ut ex his ovis prorepentes vermiculi paratum ſibi inveniant nutrimentum. Et utriuſque ſexus, nempe feminæ & maris copulam viderunt auctores, qua multiplicari poſſe nimis intra inteſtina vulgo ſemper creditum eſt. In morbis ex ratione, qua primarum viarum humores in putredinem abeunt, inſectorum ovula majori commoditate foventur, & vermes generantur, obſervamus vermes nimis abundare. Hinc a practicis ſemper ſtatuitur non eſſe vermes putredinis cauſam, ſed in putredine vermes generari, Neque dicatur cibos ut plurimum coctos non poſſe ovula inſectorum ſana ſervare; nam plures in actis Academiæ ſcientiarum Speciæ demonſtratum eſt a Cl: Montino inſignem caloris gradum inſecta poſſe ſubſtineri quin moriantur. Tæniæ ovula in piſcibus, quos
ut

ſtein quartam, & quintam ſpeciem. Prima eſt *aſcaridis lumbricoides*, altera eſt *gordii*. Aſcaris lumbricois eſt vermis exilis oblongus utramque exilem ex-

---

ut plurimum ſemicoctos comedimus, continentur, & cum his alimentis veniens intra inteſtina hujuſmodi vermis latus, faſciatus, longiſſimuſq. diu vivere poteſt. Aſcaridum, & lumbricorum ovula pari ratione intra noſtra inteſtina venire poſſunt cum aliis alimentis & potibus. Et ſi intra ſinus frontales, & ſphænoideos aliquando vermes viſi ſint, id ex ingreſſu aeris inſectorum ovula ſecum in hos ſinus ducentis eſt repetendum. Et ſi fœtus mox ab utero prodeuntes lumbricos per anum educere viderunt nonnulli, id repeti poteſt ex ingreſſu aeris intra amnii liquorem ſecum ovula lumbricorum ducentis. Scimus enim ultimo graviditatis termino rumpi membranas fœtum obvoluentes, & uteri cervicem aperiri. Per has vias poteſt ingredi aer intra uterum, & poteſt ferre ovula intra amnii liquorem, qui non totus adhuc eductus comeditur ab fœtu & ſic generantur lumbrici, qui mox e fœtu ab utero prodeunte excernuntur. Rariſſimus caſus fœtuum lumbricos habentium rariſſimam ſupponit partium diſpoſitionem, qua phænomenon explicari poteſt.

extremitatem habens palmi longitudinem æquans. Gordius est cylindricus albus, parum longus in piscium vesiculis ut plurimum vivens.

Triplex est vermium species. §. 21. Sed verum semper est triplicem vermium speciem, nempe ascaridum, lumbricorum, & tæniarum in hominibus reperiri. Sunt parvi & saltillantes vermes ascarides pares iis, qui *Ascarides* in caseo reperiuntur. Circa rectum intestinum ut plurimum nidulare solent. Lumbrici similes terrestribus sunt, nisi quod his albidiores observantur. Con-*Lumbrici* stant lumbrici anulis quatuor pilorum ordines obvolventibus. Hi pili instar puntulæ rectæ flectuntur ad libitum insecti, quibus progredi potest. In una extremitate os aperitur per quod ali-*Tænia* mentum sumitur. Tænia est vermis *solitarius*, *oblongus*, *fasciatus*, *&* *cucurbitinus*, qui vivere solet in aquis stagnantibus, & in intestinis eorum venit, qui hujusmodi aquas bibunt, aut pisces harum aquarum indigenas comedunt. Credidit Andry de vermium generatione egregius auctor tæniam esse catenam longissimam cucurbi-

bitinorum insectorum, qui per articulos modo longos, modo breves conjunguntur. Ab extremitate altera tæniæ os incipit, a quo sugitur alimentum, quod excurrit per canalem semper patentem, & singulus vermis huic canali adhærens sugens ipsum alimentum enutritur (*o*). Celeberrimus Bonnet duas distinguit tæniæ species, quarum altera est anulorum brevium, altera anulorum oblongorum. In parte anteriori teminatur filum, quod est caput tæniæ, & inter anulos reperiuntur parva corpuscula porporinum servantia liquorem. Hi stomachi vices gerunt. Circa quemcumque anulum reperiuntur duo foramina, & horum grandius parvam habet mammillam, qua & sugit alimentum, & fortiter figitur. Vocatur hæc prima species *tænia stigmatum umbilicalium*. In altera specie foramina, & papilllæ lateraliter sunt positæ, & intra anulos parvi servantur membranosi sacci, qui intestinorum vices

Tæniarum duplex species.

ces

(o) Andry generat. des vers. p. 220.

ces gerunt. Hæc dicitur *tænia ſtigmatum lateralium* (*p*). Sapientiſſimus Dionis (*q*) tertiam deſcribit tæniæ ſpeciem, nempe eam, quæ in ſacco ſervatur membronoſo. Mira eſt tæniæ longitudo. Non raro totam & tenuvium, & craſſorum inteſtinorum longitudinem æquare ſolet. Quando generatur ægerrime poteſt ab inteſtinis educi. Suis enim mammillis nimis fortiter intra inteſtinorum tunicas figitur. Nec raro in fragmentis ſeparatur, & fruſtillatim excernitur. Et ſi portio tæniæ deficit, poteſt iterum reparari. Falſum eſt tæniam ſemel generatam abſumere ſibi conveniens alimentum, & inde amplius reproduci non poſſe. Nobilis matrona ſexageſimum annum agens quarta vice aduxit tæniam ſemper longiſſimam. Unica vice erat quindecim palmo-

---

(p) Bonnet Memoires preſentes a l' Acad. des Scienc. de mathem, & Phyſique T. I. & conſid. ſur les corps organiſes p. 200.

(q) Diſſert. ſur la tæn. p. 15. & ſeq.

morum longitudinis, & latitudinis duorum transverſorum digitorum.

§. 22. Quando pueri vermibus infeſtantur ſequentia habere ſymptomata ſolent. Vagi & recurrentes abdominis dolores vexant, ſternutatio eſt frequens, tuſſis eſt convulſiva, & moleſta, urinæ excernuntur tenues & aquoſæ, alvus modo ſoluta, modoque eſt ſtricta. Quando ſolvitur alvus fæces excernuntur ut plurimum virides, oculi ſunt perturbati, & pupilla juſto amplior apparet. Convulſiones eo ſunt pertinaciores, quo vermes ſunt moleſtiores. Vigiles noctes ducunt pueri, & ſi dormiunt frequenter ſubſiliunt, atque ab inſomniis perterriti expergiſcuntur. Oris labia mordent, nares frequenter ſcalpiunt, exhalant ab hore halitum urinoſum. Macula rubra facile diſparente genæ inficiuntur, & aurium tinnitus pariter moleſtat. Vertigines & epilepſiæ non raro a vermibus producuntur. Hæc aut ſimilia ſigna ſunt, quibus cognoſcere ſolemus pueros a vermibus infeſtari. Pendent ab irritatione, quam vermes nervis inteſtinorum com-

Quæ ſunt vermium ſymptomata.

communicant. Hujusmodi nervis magni intercostalis, & vagi propagines esse discimus ab anatomicis. Hos nervos cum omnibus corporis partibus consensum, & conspirationem habere certum est. Nimirum fiunt vagi dolores abdominis ex morsibus, quos vermes intestinis infligunt repetitis vicibus. Frequens sternutatio, & narium scalptura pendet ab illa irritatione, quam nervi harum partium per sympathiam accipiunt ab intestinis. Et convulsiva tussis per eandem sympathicam affectionem excitatur. Pueri ab hac tussi sive a vermibus, sive ab alia quacumque causa facta mirum quantum vexari solent (r). Et

Vermium symptomatum redditur ratio.

Convulsivæ puerorum tussis fit mentio.

(r) Convulsiva puerorum tussis morbus non antiquus est. Epidemico grassari solet more & non raro per periodos invadere solet. Pendet a materia volatili, sanguinem inficiente, cujus derivationes in pectus per repetitas accessiones fiunt. Sic observamus pueros ab accessu convulsivæ tussis vexatos oculos turgidos & illacrymantes habere, faciem lividam, stridentem & intercisam respirationem. Et frer

Et oculi perturbationem, suamque patiuntur illacrymationem per nervorum consensum, quam ganglius ophthalmi-

cus

---

frequenter hæc omnia vomitus excipit, qui finem insultui ponit. Cum tussi viscida materies excernitur, quæ potius morbi effectus est. Irritatis enim admodum tracheæ & branchiorum glandulis emungitur copiosior lympha, & ab ore excernitur. Et quando vomitus accidit extricatur e pectore fortiter stimulans causa, atque expellitur, sicque cessat paroxysmus, rediturus accessione iterum miasmatis per sanguinem diffusi. Quam crudelis & ferina est tussis variolarum, morbillorum, & rosaliæ eruptionem præcedens? Quam ferox est tussis puerorum a quadam febris conditione orta? Sane quemadmodum pueri ab venefico miasmate variolarum, morbillorum, & febris cujusdam pectus inuadente convulsiva & ferina vexantur tussi, quæ numquam cedit, nisi primario morbo extincto, ita ab venefico peculiari miasmate, pectusque periodica veluti invasione obsidente infecti crudeli tussi convulsiva laborare solent. Hæc tussis est contagiosa pari modo ac contagiosus variolus, & morbillus est. Et numquam extinguitur, nisi hoc miasmate domatum & penitus expulsum sit. Vidi pluries in praxi hanc tussim contagio-

sam

cus habet cum magno intercoſtali. Sicque explicatur ſecundum Monroi experimentum nimia pupillæ dilatatio in pue-

---

ſam ab infectis pueris in ſanis per diſtans tranſire. Et morbum omnia artis præſidia eludentem ſponte ceſſare, quando ſcilicet tractu temporis correptum & domatum ſit veneficum miaſma, in compertis eſt. Ab hoc pertinaci morbo pueri fiunt excarnes, pallidi, & non raro ſanguinem expuunt. Vidi non ſemel pueros a convulſiva tuſſi factos tabidos, excitatis convulſionibus, interire. Morbi curatio in hunc modum a nobis inſtituitur. Si vigent pulſus, & plethoricus eſt æger ſanguinis miſſionem ad uncias quatuor inſtituere ſolemus. Unum, alterumve veſicatorium brachiis inde admovemus, & alternis vicibus propinamus emeticum ab ipecacuanha paratum. Et ſancte vobis teſtari poſſum, adoleſcentes, levia repetita emetica tuſſi convulſivæ puerorum curandæ ſummopere valere. Die adveſperaſcente opiatum ex grano nepenthes in aquæ theriacalis uncia una ſoluto cum addita pauca diacodii liquidi quantitate præparatum cochleatim exibemus. Clyſteres emollientes frequenter iniicimus. Et periodico morbo chinchina cum duobus moſchi electi granis copulata ad drachmas tres partitis in die vicibus medemur. Opti-

pueris vermes habentibus. Nervi enim ciliares pupillam ſubeuntes ab ganglio veniunt ophthalmico, & his nervis debetur ſumma pupillæ motio. Convulſiones apparent ex perturbatione cerebro communicata, indeque facta ſumma ſpirituum nervorum ataxia. Sic accidunt vertigines, & epilepſiæ. Et illa macula facile in genas diſparens pariter fit a ſpaſmodica conſtrictione pulmonum, in quos non libere venit a corde dextero ſanguis, & in cor non libere exoneratur cava, quæ reducem a

 ſa-

Optimam victus rationem imperamus, & perdurantem diu tuſſim convulſivam lactea diæta, belineis frigidiuſculis, aeris mutatione curare tandem ſolemus. Roſenſtein commendat decoctionem roris marini ſylveſtris pluries de die epotam pro compeſcenda convulſiva tuſſi. Werlhofius laudat ſirupum corallorum rubrorum cum ſpiritu nitri dulcificato copulatum. Verum ſi hæc, aut alia his ſimilia remedia inutilia obſervatis, minime animus eſt vobis deficiendus. Nam convulſivæ tuſſis pertinaciam vincit tempus, cui tamquam medicamentorum principi morbum penitus committere debetis.

facie sanguinem non prompte accipit. Et cum facile solvatur illa spasmodica pulmonum constrictio, facile disparet macula in genis facta. Et dum hærent ut plurimum vermes intra mucum putridum, emittitur ex hoc fætidus halitus, quem pueri ab ore exhalant.

Vermium quænam sunt causæ

§. 23. Vermium generatio debetur quibusdam causis. Temperamentum pituitosum, multisque humoribus aquosis & mucosis onustum vermium generationi aptissimum esse docet observatio. Qui in aere humido, & crasso vivunt, quique aquam palustrem, cænosamque bibunt, qui cibis utuntur crassis, & eos non facile digerunt, qui piscibus vescuntur, in quorum vesiculis ova insectorum multa nidulant, qui mæstitia, & potissimum timore corripiuntur &c. facile vermes generant. Quando aquæ bibitæ abundant insectorum ovulis facile hæc ovula in intestinis fæcundata educunt vermes, & intra ciborum indigestionem, scilicet intra putredinem vermes generari posse jam pluries dictum est. Sed cur post susceptum timorem generantur potissimum

mum in pueris vermes non facile explicari poteſt. Ego crederem ab ſuſcepto timore univerſam conſtringi cutem, indeque fluida a circumferentia in centrum, ſcilicet, intra inteſtina confluere, & facto veluti calido putredinoſo nido cauſam ovulis inſectorum præberi, ut fæcundentur. Id in pueris potiſſimum accidit, quia humoribus magis abundant. Humores primarum, & ſecundarum viarum indigenas facile corrumpi ab determinatione tranſpirabilis materiæ diuturna conſtat experientia. Sic mulieres filiis ſuis pavore correptis, indeque vermes habentibus anthelmintica ſtatim propinare vulgatiſſimo edoctas experimento ſcimus. Quando aſcarides enaſcuntur, niſi diu intra rectum inteſtinum fixi ſint, ut plurimum curantur. Lumbrici pertinaciores ſunt potiſſimum quando nimia abundant copia, & intra multam nidulant pituitam. Tænia difficillime interficitur, & expellitur. Quando ejus portio educitur facile regeneratur. Et nova tæniæ productio facilis accidit. Vermibus conſumantur ſubſtantiæ ali-

Vermium prognoſis.

mentitiæ puerorum, & exulcerantur inteſtina, atque fodicantur, quando pertinaciſſime adhærent eorum tunicis. Et graviſſima ſymptomata veluti convulſiones, epilepſias, tabem a vermibus productam excipit tandem mors. Nec novum eſt videre vel ipſum ſuffocativum catarrhum a vermibus produci (s).

Suffocativi puerorum catarrhi fit mentio.

§. 24.

(s) Notum omnibus eſt *catarrhum ſuffocativum* vulgo dictum corripere ſolere pueros ab initio infantiæ ad uſque decimum ætatis annum, a quo ut plurimum brevi in tempore jugulantur. Quando cum vermium præſentia pereunt ſuffocati pueri credunt medici morbum a vermibus fieri. Hoc accidere poteſt vel ob fortem convulſionem bronchia, pulmoneſque occupantem propter irritationem, quæ ab inteſtinorum nervis derivat, vel ob ingreſſum intra pulmones vermium inteſtina, diaphragmaque fodicantium. Hiſce ex cauſis pulmones ſanguinis circulationi obeundæ impares evadunt, & continuo moriuntur pueri. Verum poteſt accidere, ut catarrhus ſuffocativus pueros corripiat eo in tempore, in quo vermes in inteſtinis pariter geniti ſunt, tunc duobus diſtinctis morbis ægri conflictati pereunt. Diſſectis cadaveribus rei veritas elucet. Inveniuntur enim vermes multi in inteſtinis, & tra-

§. 24. Ad curationem quod spectant jam omnibus notum est, vermes & interfici, & expelli deberi. Quan- *Vermium curatio.*

---

tracheæ, bronchiorumque interior superficies aut gangræna, aut pellicula album densumque humorem servante obsidetur. Ut autem in hujusmodi catarrhi suffocativi indolem, quoad temporis angustiæ sinunt, diligentius inquiramus, sciendum est non raro morbum oriri epidemico more grassaturum sequentibus stipatum symptomatibus. Pueri solito pallidiores, inquietioresque fiunt, anhelosi evadunt, & raucam ac sibilosam faciunt respirationem, vocemque reddunt acutam. Pulsus fiunt celeriores, frequentioresque, & omnibus sensationibus rite gaudent. Tussis est molesta, respiratio fit anhelosior, & una, alterave ab suscepto morbo die repente ægri moriuntur. Cl. *Homme* in Scotia pluries pueros hoc morbo correptos, mortuosque dissecuit, invenitque intra tracheam, & intra bronchia vesiculam albo, tenacique humore plenam. Id ipsum viderat Rosenstein in Svetia. Igitur juxta hos auctores suffocativi catarrhi causa accepta redditur huic vesiculæ intra respirationis vias enatæ. Nos quemadmodum non negamus id aliquando posse advenire, attamen adserimus non raro morbum ab inflammatione interiores tracheæ partes obsidente, quam ve-

do circa rectum intestinum hærent ascarides optimum est laridi crudi frustulum in anum immittere pluries de die,

---

veteres *cynanchen* adpellabant, etiam fieri. Et efformari pariter potest pellicula ab ipsamet orta inflammatione. Nam quando aer nimio plenus phlogisto espiratur, mucus naturaliter vestiens interiorem tracheæ superficiem densari in pelliculæ formam potest, sicque suffocatus cito perit puer. Nimis phlogisti quantitate humores densari, & coagulari certum est. Et in inflammationum casibus phlogisti copiam in sanguine augeri omnes scimus. Pulmones esse organa, e quibus extricatur phlogistum, pluries docuere observationes recentiorum. Quando hujusmodi morbo correptos pueros curare debetis adolescentes sollicite medicinam opportunam adhibite. Duorum, vel trium dierum spatio morbus interficit. In primo morbi stadio sanguis est mittendus modo e venis pedum, modo e venis colli, modo e venis raninis. Vesicantia circa collum sunt adhibenda, & clysteres emollientes frequenter sunt iniiciendi. Fotus dissolventes & antiphlogistici sunt adhibendi in hunc modum. Accipiatur spongia, & imbuatur aqua sambuci aceto infecta, sicque tepidiuscula ori admovenda pueri est hac lege, ut inspiratione hauriantur an-

die, & educere hac ratione, ut extrahantur plures inſecti ei fruſtulo adhærentes. Betulæ ſuccum, aut nicotianæ decoctionem in anum per ſiphonem immittere non parum prodeſſe conſtat experientia. Nec parcendum eſt interno mercurialium uſui. Hydrargyrum enim ad grana viginti in ſufficienti quantitate terebinthinæ receptum quotidie propinatum aſcarides & interficere, & expellere pluries obſervavi. Lumbricorum vero curationem abſolvunt corallina, ſemen ſantonicum, ru-

---

antiphlogiſtici vapores. Serum lactis, in quod pauxillum ſalis polychreſti ſolutum ſit, pluries de die eſt bibendum. Si notæ inflammationis abſunt, & metus eſt viſcidam materiam tracheam, bronchiaque obſidere repetita levia emetica ſunt propinanda a radice ipecacuanhæ parata. His ſolis e pectore educi materiam inertem potenter poſſe experientia docet. Laryngotomia nullum habet in hac affectione locum. Morbus enim ſuum radicem intra bronchia, & pulmones fixum habet, cui laryngotomia numquam mederi poteſt. Conſulite obſervat. Homm., & Roſenſtein loc. cit. p. *396.* de hoc morbo plura ſcire cupientes.

tæ oleum, mel hyſpanicum, aquæ minerales, ſucci foliorum hellebori cum vitriolo martis copulati conveniens quantitas, fel bovinum, ſummitatum abſinthii decoctio, & his ſimilia. Mercurium dulcem cum pulvere jalapæ copulatum vermes interficere & expellere valere docet obſervatio. Horum doſis ſumenda eſt a ratione ætatis, & temperamenti pueri. Puluerem filicis majoris ad drachmam unam quotidie propinatum egregium eſſe anthelminticum hodie ſcimus. Huic pulveri addi poteſt potio decoctionis ejuſdem filicis rutæ oleo infectæ. Clyſteres e lacte parati frequenter iniiciendi ſunt hac ſpe, ut vermes ad odorem lactis venientes inferiora inteſtinorum loca petant. Tæniæ vero ob ſummam longitudinem, plicaſque, quas in inteſtinis faciunt, obque multam adhæſionem, quam ope acutioris extremitatis, & inhalantium vaſorum cum iiſdem inteſtinis tenent, difficillime expelli puſſunt. Præter indicata contra aſcarides, & lumbricos remedia efficacia, ſunt & alia adverſus tænias præſtantiora adhibenda. Aquæ

quæ thermales, præſertim ſulphureæ ad ultimum geliditatis gradum perductæ, & magna copia bibitæ per viginti, & triginta dies potenter tænias expellunt. Pulvis filicis cum gummi guttæ, & gratiolæ aliquot granis copulatus potenter tænias expellit. Obſtinatiſſimam tæniam interſecit expellitque Roſenſtein uſu ſequentis pulveris. Carbonis foſſilis, & pulveris pyrii drachma una & ſemis, nec non grana ſex piperis accipiantur, & mixtis omnibus fiat pulvis tres in chartulas dividendus, quarum una mane, altera circa meridiem, tertia ſero eſt propinanda. Purgantia draſtica quoque convenire ſolent. Sic duo grana reſinæ ſcammonii, & totidem turbith valere tæniam interficere, & expellere ex Mitreto refert ſemper laudandus Roſenſtein, a quo concinnatur elixir probatiſſimi uſus. Radix gentianæ, mirrha, camphora, cortices aurantiorum, caſtoreum optimum, extractum aloes, & crocus orientalis per octiduum digerere in ſpiritu vini debent. Colatura ſervetur ad uſum. Hujus elixiris guttas viginti in decoctione aut fili-

filicis, aut rutæ per plures dies bibitæ curaverunt a generatione tæniæ matronam, cujus mentionem fecimus §. præc. Ceterum haud denegamus mercurium dulcem cum pulvere jalapæ copulatum nimis valere ad tæniam interficiendam expellendamque, quemadmodum experientia constat. De puerorum morbis hæc dicta sint satis.

F I N I S.

INDEX ARTICULORUM.

DE MORBIS MULIERUM ET PUERORUM

DE MORBIS PUERORUM

ERRATA CORRIGE

	ERRATA	CORRIGE
P. 11. v. 17.	exertiones	excretiones
P. 12. v. 19.	uterum	uterus
P. 11. v. 12.	oſtium	oſtium
P. 23. v. 23.	vingendis	vincendis
P. 27. v. 11.	incontruas	incongruas
P. 35. v. 6.	crurallem	cruralem
P. 49. v. 25.	ſtillicidum	ſtillicidium
P. 61. v. 5.	cochexiam	cachexiam
Ibidem v. 22.	labaſcat	labeſcat
P. 63. v. 18.	abſtruſti	obſtruſti
Ibidem v. 27.	labaſcuut	labeſcunt
P. 67. v. 27.	caro	raro
P. 68. v. 15.	imbecillas	imbecilles
P. 90. v. 9.	efficiora	efficaciora
P. 93. v. 15.	charſtám	chartam
P. 94. v. 8.	vingulis	vinculis
P. 100. v. 7.	concreſſu	congreſſu
Ibidem v. 15.	medicos	medici
P. 108. v. 27.	avuum	alvum
P. 125. v. 5.	veritur	vertitur
P. 129. v. 11.	inuria	injuria
P. 138. v. 15.	axilii	auxilii
P. 139. v. 17.	ineſtioues	injeſtiones
P. 145. v. 8.	alius	aliam

P.

P. 146. v. 21. dirrhæa	diarrhœa
P. 160. v. 25. gravidatem	graviditatem
P. 161. v. 9. Nicolaus	Nicolao
P. 165. v. 8. efunditur	effunditur
P. 166. v. 14. rententione	retentione
P. 172. v. 9. canatus	conatus
P. 179. v. 11. ipis	ipſis
P. 182. v. 17. luctiferi	lactiferi
P. 185. v. 26. pupillæ	papillæ
P. 195. v. 17. oportunam	opportunam
Ibidem v. 20. infeutis	infautis
P. 200. v. 24. evandunt	evadunt
P. 204. v. 18. apoplexium	apoplexiam
P. 215. v. 6. on	in
P. 232. v. 14. habetes	hebetes
P. 236. v. 5. inchoroſam	ichoroſam
P. 244. v. 1. totæ	toti
P. 254. v. 1. nervis	nervos

Alios, quos typographi oſcitantia admiſit errores lectoris ſolertiæ corrigendos committimus.